


De Sensvum In Diivdicanda Transvstantiatione Missatica Testimonio

Rintellii: Typis loh. Godof. Enax, [1751?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862634644>

Druck Freier  Zugang






381

a. B.
48. b. 8.

14.

Fa-1092 (14)

2. 23.
3. 21.
4. 19.
5. 20.
6. 22.
7. 24.
8. 25.
9. 26.
10. 27.
11. 28.
12. 29.
13. 30.



DE
SENSVVM
 IN DIIVDICANDA TRANSVB-
 STANTIATIONE MISSATICA
 TESTIMONIO

COMMENTATIONE PRAEVIA

VIRO SVMME REVERENDO ATQVE EXCELLENTISSIMO
CONR. FRID. ERN. BIERLINGIO

S.S. THEOL. IN ACADEMIA NOSTRA PROFESSORI ORDINARIO

NEC NON

VIRO MAXIME REVERENDO ATQVE AMPLISSIMO
IO. HERMANNO ZSCHORNIO

VERBI DIVINI APVD CELLENSES MINISTRO

SVM MOS IN THEOLOGIA HONORES

ad d. XIX. Martii anni huius cIo Io cc LI

SOLEMNITER INDICIT CONFERENDOS

EAMQVE VT PANEGYRIN PRAESENTIA SVA CONDE-
 CORARE VELINT

PROCERES ACADEMIAE SPECTATISSIMI
GENEROSISSIMI ET NOBILISSIMI CIVES
 ET QVOTQVOT SACRIS LITERIS BENE CVPIVNT
 HOSPITES

HVMANISSIMIS PRECIBVS INVITAT

GODOFREDVS SCHWARZ

S.S. THEOL. DOCTOR EIVSDEMQUE PROFESSOR PRIMARIVS
 CONSISTORII HASSO-SCHAVMB. ASSESSOR ET ECCLE-
 SIAR. PER EVND. COMITAT. SVPERINTENDENS
 FAC. TH. H. T. DECANVS ET PROMOTOR.

RINTELII TYPIS IOH. GODOF. ENAX A. T.

SENSVVM

SEATITATIONE MISSATICA
TESTIMONIO

CONFERENTIAE
CONFERENTIAE
CONFERENTIAE
CONFERENTIAE

IO. THOMAS
SVMOS IN THEOLOGIA HONORES

PROFESSOR ACADEMIAE
GROSSISSIMI ET NOBILISSIMI
ET QUOTIDIANI

GODOFREDO SCHWARZ
S. THEOL. DOCT. - BIV. ORNOR. PROF. S. PHILIPPI
CONSTANTIN. HANNO. SEPT. A. 1750. ET C.

INTELLI. FRIS. ION. GONDOR. HANNO. A. N.

Q. D. B. V.

§. 1.

Si *Fallacia sensuum in genere* dicantur, quæ nobis esse apparent, quod in rei veritate non sunt; quin dentur fallaciæ sensuum philosophus instuari nequit. Et maxima quidem fallaciarum istarum pars ab oculis proficiscitur: sed neque desunt haud obscura per omnes reliquos sensus exempla. Quæ quoniam, in quotidiana vita, obvia passimque ab aliis jam sunt notata, nihil huc transcribere adinet. Quid, quod in sequentibus danda nobis erunt nonnulla.

§. 2. Si vero *Fallaciæ sensuum sigillatim* dicantur, quæ sine determinata ratione nobis esse apparent, quod in rei veritate non sunt; dari fallacias sensuum acutissimi quique philosophorum, nullo non tempore, recte negarunt. RENATUS ipse CARTESIVS, qui, ut consilii sui, *De omnibus rebus, de quibus vel minimam incertitudinis suspicionem reperiemus, semel in vita, dubitandum esse* (*), dignitatem commendaret & utilitatem, sensus non minus fallere, monuit, quam mathematicas demonstrationes; idem tamen ipse determinatas fallaciarum, a sensibus ortarum, nunquam in dubium vocavit rationes. Si enim in dubium illas vocasset, an phenomenon optidorum indolem aggressus fuisset explicare, & ex certis immotisque demonstrare principiis (**)? An tactus illam speciatim resolvere sustinisset illusionem; qua globulus, duobus digitis, iisdemque decussatim compositis, attrectatus, instar duorum a nobis sentitur (***)?

§. 3. Quidquid fit de mente Cartesii, plurimumque
 A 2 ante

(*) REN. CARTESIVS in limine *Principiorum suorum philosophicorum p. m. I.* ex edit. Amstelodamen. a. 1664. in 4.
 (**) IDEM in *Speciminibus philosophiæ sigillatim in Dioptrica* passim.
 (***) IDEM *ibidem cap. VI. §. XVIII. p. m. 91.*

2/3
 2/4
 2
 2
 2
 30

ante ipsum philosophorum: dantur certe determinatæ semper rationes, cur sensus objecta aliter sæpe repræsentent, quam sunt comparata re vera. Dantur quoque regulæ adæquatæ, quas qui sequitur ex asse, nunquam a sensibus suis decipietur. Quæ si demonstraverimus, firma obtinuerimus principia, ad cognitionem, quæ a sensibus oritur, æqua lance æstimandam. Itaque ad rem nos accingamus.

§. 4. *Rationem* dicimus omne id, unde distincte intelligere licet, ratione sua utenti, quare aliquid sit. *Ratio* autem mihi est *determinata*, qua posita, oppositum ponitur impossibile. Dico itaque: quoties sensus objectum quoddam aliter nobis repræsentant, quam in rei veritate comparatum est, semper aliquid adesse, unde, ratione sua utenti, distincte intelligere licet, cur idem objectum aliter nobis a sensibus repræsentetur, quam in rei veritate est comparatum. Eademque ratione posita, dico porro, impossibile esse, aut si mavis contradictorium, ut sensus objectum ita nobis repræsentent, prout in rei veritate est comparatum. Idque si fieret, tum demum sensus nos fallerent re vera: & regulæ physicorum variæ, quæ veræ esse demonstrantur, falsæ simul essent; quod est absurdum. Dabo exemplum. Pone virgam æqualem & ab omni parte sui similem: pone eandem aliqua sui parte limpida aqua immerfam. Certum inter physicos est, objecta omnia visibilia, ex quovis sui puncto, radios ejaculari rectilineos: nec minus certum est, radios illos ex corpore specificè graviore in corpus specificè levius, & contra, emergentes refringi (*). Quibus rationibus positis, cum ea virgæ pars, quæ aqua immersa est, secundum radios refractos in oculis nostris

(*) vid. CARTESIVS *Dioptrica* cap. I. §. VIII. seqq. Ex recentioribus, multo plus accuratioribus habentibus, PETRVS VAN MVSSCHENBROEK *Institutionum physicarum* cap. XXVIII. seqq. Perill. Dn. de WOLF cum in *Elementis matheſeos uniuersæ*, sigillatim in *Optica*, tum in *libris physicis*, quos patrio sermone conscripsit, inque omnium nostrum sunt manu.

delineetur, pars altera illius, quæ supra aquam prominet, secundum radios non alteratos; ut virgam per se æqualem sub duabus lineis rectis, & quidem, qua aquæ & aëris confinium est, in angulum coëuntibus, percipiamus, necesse est. Estque adeo impossibile, ut, his positis rationibus, non incurvam, sed, prout est, persimilem ab omni parte percipiamus. Atque en! quid rationis determinatæ nomine nobis veniat.

§. 5. Fallaciarum sensuum in genere (§. 1.) determinatæ illæ rationes (§. 4.) quamquam plures specificè allegantur, commode tamen omnes ad quatuor præcipue genera revocari possunt. PRIMVM genus est, cum, ob mutatum organorum sensoriorum statum naturalem, seu morbo, seu motu voluntario, seu vi quadam intercedente externa, objecta aliter representari oportet, quam in rei veritate comparata sunt. Sic complura sensuum phantasmata, nihil minus quam objectorum sensilium indoli congruentia, ex morbosa corporis constitutione enata, medici recensent euntque curatum. A motu voluntario pendet globuli instar duorum perceptio, de qua ad §. 2. Plura denique vis externæ, organo sensorio illatæ, specimina refert atque resolvit CARTESIVS (*). ALTERVM genus est, cum, ob refractionem radiorum, ex corpore specificè graviori in corpus specificè levius, aut contra, penetrantium, perceptionem ab originali suo diversam generari oportet. Ex hac causa fit, ut virga rectilinea, aquæ immersa limpida, incurva conspiciatur; qua de re ad §. 4. Hinc numus, capaci pelvi injectus, aqua superfusa, cernitur, qui, vase ab aqua vacuo, ex eodem a spectatore loco videri non potuit. Hujus denique regulæ fecunditati tot inventa debentur catoptrica, admiranda plane oculis nostris spectacula exhibentia & prodigiosa. Taceo naturæ phænomena infinita. TERTIVM genus est, cum, ob divaricationem radiorum, ex singulis objecti visibilis punctis emissorum, paucissimi illorum ad spectatoris, longius ab objecto

(*) CARTESIVS in Dioptrica cap. VI. et VII.

objecto distantis, oculos pervenire possunt, sed et, qui possent, in densiore aëre absorbentur. Quo fit, ut amplissima corpora, pro ratione distantiae suae, magis magisque in molem decrescant angustiorum: objecta minora etiam evanescant: angularia rotunda appareant: sphaerica planorum formam referant: colorata amittant colores suos. Ob eandem aëris densitatem, propriamque ex densitate resistantiam, fieri non potest, quin suavissima symphonia, eminus audita, in confusos degeneret fufurros (*). **QUARTVM** genus est, cum, ob similitudinem specierum, quas, per structuram organorum sensoriorum, objecta toto caelo diversa saepenumero illis imprimunt, rerum a nobis differentia notari nulla potest. Dico autem speciem organis sensoriis impressam imaginem illam, aut, si cum **WOLFIO** malis, motum illum in genere, quam objecta sensibilia, organa nostra sensoria ferientia, in illis producant. Sic corpora, actu locum suum mutantia, moveri percipimus, imagine illorum in dextrum oculorum angulum ingrediente, e sinistro egrediente, aut contra. Pone autem spectatorem incitatius, quae extra se posita sunt, praetervehentem contuentemque: tametsi immota requiescunt, aequae tamen, ac si moverentur re vera, in oculorum angulum alterum quidem ingredientur, ex altero egredientur. Item, sint corporum duo ordines, in lineis convergentibus dispositi: enimvero prouti convergant re vera, ita in spectatorum quoque oculis delineabuntur. Sed neque corporum duo ordines, in lineis parallelis dispositi, delineari in spectatorum oculis aliter, quam sub convergentium figura, possunt; sicuti in opticis ostenditur (**).

§. 6. Vidimus determinatas fallaciarum sensuum in genere (§. 1.) rationes; quas doctissimi physicorum passim

(*) Exempla, hanc et praecedentem regulam illustrantia, exemplorumque rationes, dabunt Physici; quos ambigiose excitasse nihil est opus.

(**) vid. Perillustris Dn. de **WOLF** *Psychologia rationalis*, §. 120 - 124.

fim tradunt enucleantque, eoque labore, illusiones illas de-
 tegendi vitandique, præsidia solertibus naturæ scrutatori-
 bus suppeditant certissima. Sed, quoniam non omnibus
 pulcherrimam hanc adire Corinthum licet, solliciti fue-
 runt logici, cognitionem a posteriori, sive a sensibus, or-
 tam dirigentes, de regulis quibusdam generalibus, obser-
 vatu applicatuque facilioribus; quas qui sequitur, fallaciis
 sensuum superior semper fuerit. Regulæ illæ, suppositis
 organis sensoriiis sanis et minime impeditis, sunt. **PRI-**
MA nimirum: *Consulendi plures, in cognoscenda re, vno sensu,*
ac totidem quidem, in re dubia atque implicata, quot per rei
naturam licuerit. Non enim visu suo deceptus, &, verbi
 causa, virgam rectilineam, limpidæ aquæ immerfam, in-
 curvam arbitratus, errare perget, si manibus eam tangere
 voluerit & contrectare. Non Iacobus, insciens Leæ mari-
 tatus, si tactus nocte intempesta ei imposuit, opinione sua
 liberari non potuit, cum sponsam audiret fabulantem,
 cumque mane videret de lecto surgentem. **ALTERA** est:
Consideranda nobis res, quam cognoscere volumus, diutius, repe-
titis vicibus, diversis temporibus, mutatoque locorum situ. Hinc
 tanta in observationibus astronomorum recentiorum in-
 est fides. Neque enim opera ipsorum est desultoria, re-
 missa, superficialia: non, ubi semel unoque aliquid obser-
 varunt in loco, diversis præterea temporibus ac locis diver-
 sis, idem illud observare non curant. **TERTIA** est: *Re-*
surrendum identidem ad arma sensuum, si, vel ob distantiam vel
exilitatem objecti, partiumque in eo confusionem, sensui nudo
diffusi fuerimus. His quidem præsidiiis, inventis telescopiis
 & microscopiis, adjuncta recentiorum astronomorum & phy-
 sicorum industria, quot & quanta in sphæra non modo
 terrestri, sed etiam cælesti, detexit; quorum nullum plane
 sensum habuit, ab armis istis vacua, veterum solertia?
QUARTA est: *Quærendum, quid de eadem re expertos*
sepe profitentur & alii, sensu nudo aut armato instructi. Quod
 itaque vetus ait proverbium, *cujus gravitas ex præmissis*
prioribus regulis abunde colligi potest, plus vident oculi,
quam

quam oculus, id de omnibus omnino sensibus est capiendum. Plus semper fidei inest observationi, a pluribus, imo quam plurimis, instituta; quam ab uno, quam a paucis, imo vero paucissimis (*). Ceteris paribus.

§. 7. Expeditis hactenus tam determinatis fallaciarum sensuum rationibus (§. 5.), quam regulis, ad eludendum illusiones illorum, logicis (§. 6.), firma jam aliquot principia potuerimus constituere; ex quibus cognitio nostra, quæ quidem sensuum ope, sive a posteriori, a nobis comparatur, est dijudicanda. VNVM est: *Vbicunque determinatarum rationum nulla adest, cur sensus objectum quoddam aliter nobis repræsentarent, quam idem in rei veritate est comparatum, sensuum testimonium sollicitari non potest, nec debet.* ALTERVM est: *Vbi regulæ detegendis vitandisque fallaciis sensuum ex asse a nobis fuerint observatæ atque applicatæ, standum utique est sensuum testimonio.* TERTIVM, quod ex præmissis componitur duobus: *Itaque, ubicunque et determinatarum fallaciarum sensuum in genere rationum nulla adest, et regulæ simul, illis detegendis vitandisque, ex asse a nobis fuerint observatæ, hoc magis, sine ulla dubitatione, sensuum testimonium pro certo habendum est. Quæ omnia licet nemo non, a præjudicatis opinionibus vacuus, ultro nobis largiatur, principiorumque veritatem, ex hactenus a nobis disputatis, doctorum quisque satis perspiciat, paucis tamen adhuc demonstrabimus singula, idque eorum causa, quibuscum nobis est res.*

§. 8. Sume *primo*, sensuum testimonio standum non esse, quamvis determinatarum rationum nulla adfit, cur objectum aliter nobis repræsentarent, quam idem in rei veritate comparatum est; omnis itaque cognitio nostra, sensuum beneficio acquisita, non ab objectis cognitis, sed a mero nostro pendebit arbitrio; quæ patentissima ad fanaticismum est via. Est enim *fanaticismi* veritatem non ab objecto, sed a mero nostro arbitrio, suspendere. Sume *secundo*,

(*) Excerptimus has regulas ex *Elementis logica nostra theoretica, ad usum quondam Auditorum nostrorum conscriptæ*, §. 169. pag. 185.

23

24

2

2

2

2

30

secundo, sensuum testimonio standum non esse, quamvis regula fallacis illorum detegendis vitandisque ex asse a nobis fuerint applicata; nulla itaque in cognitione nostra, sensuum beneficio acquisita, esse certitudo potest; quæ patentissima ad scepticismum est via. Est enim *scepticismi* veritatum universalium vim nullam agnoscere et efficaciam, ut nihil affirmare, nihil negare, cogaris, in casu quovis obvio. Sed regula, detegendis vitandisque fallacis sensuum, a phycis & logicis præscripta, sunt veritates eiusmodi universales. Verum hæc philosophis pluribus expedienda relinquimus, inque argumento theologico ad rationes theologicas nos convertimus.

§. 9. Non solum sanctissimæ fidei nostræ apodixes, sed complura etiam, quæ profitemur, quibus a Christo nomen est, dogmata, sensuum nituntur iudicio. Prioris generis sunt miracula, a Christo & sanctis dei viris, veteris & novi fœderis sub œconomia, perpetrata: posterioris generis univërfa Salvatoris mundi est historia. At *primo*, si sensuum testimonio standum non est, quamvis determinatarum rationum nulla adsit, cur aliter objectum quoddam nobis repræsenterent, quam idem in rei veritate est comparatum, nullum omnino ex miraculis Christi sanctorumque virorum, pro veritate sanctissimæ fidei nostræ, arcessere argumentum potuerimus. Mose enim v. g. miracula in Ægypto edente, quamvis determinatarum rationum nulla adesset, cur sensibus suis fallerentur Rex incredulus, & quos ad incredulitatis suæ firmamentum adhibuit incantatores, cum populo univërso; si tamen sensus, sine determinata etiam ratione, fallunt, non erat, quod sensibus suis fidem adjungerent, & quæ oculis usurpabant, spectacula ad deum potius Israelis (*), quam ad casum cæcum, referrent. Machinæ sane istius opæ hoc magis omnem miraculorum vim eluserimus, quo certius ex præmissis ad §. 8. est, omnem nostram cognitionem, non ab objectis

B sed

XX d. l. (**) I. d. l. (***) VI. BA. C.

(*) Ex. VIII. 19 — I. BA. (***) p. p. 25

sed a mero nostro suspendi arbitrio, si quidem sensuum testimonio standum non est, tamen si determinatarum rationum nulla adsit, cur sensibus nostris falleremur potius, quam doceremur, confirmaremur. Quidquid enim miraculorum veritatis hostibus opposuerimus, non in rei veritate eorum quidquam contigisse, sed testes, quos allegamus, hæc eiusmodi sibi imaginatos esse, reponent. Nec video, qua ratione, falsissima hac, de fallaciis sensuum sine determinata ratione, hypothese admitta, a suo eos depulerimus præsidio.

§. 10. Plus periculi religioni Christianæ metuendum, si sensuum testimonio standum non esset, tamen si regulæ fallacis illorum detegendis vitandisque ex asse a nobis fuerint observata. Quid enim roboris inerit verbis Petrinis, *Nos enim, inquit, quæ & vidimus & audivimus, ea non eloqui non possumus* (*)? quid verbis Iohanneis, *Quod fuit a principio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod & spectavimus, & nostris ipsi manibus tetigimus* cet. atque iterum, *Quod & vidimus, inquit, & audivimus, id vobis annunciamus* cet. (**)? si, pluribus vel maxime, in cognoscenda re, uno sensu, consultis, sensuum nihilo minus standum non esset testimonio; secundum §. 6. reg. I. Frustra fuit cum cautione sua Thomas, non conspiciendum solum, sed & contrectandum, exoptans magistrum, a mortuis resuscitatum: frustra fuit cum amoris sui significatione Christus, voti dubitantem illum sui compotem reddens, & tam spectandum quam contrectandum sese præbens indulgentissime (***)). Quid juverit notasse, avidis diutius oculis magistrum suum testes illius spectasse, cum sublimis in cælos attolleretur (****)? quid validius urfisse juverit diuturniorem ejus, postquam a mortuis surrexit & priusquam in cælos ascendit, cum discipulis consuetudinem? quid toties repetitas apparitiones? quid temporum & locorum, quibus conspiciendum sese exhibuit, diversitates?

(*) Act. IV. 20. (**) 1 Joh. I. 1. 3. (***) Joh. XX. 25. sqq. (****) Act. I. 9. 10.

23.

24.

2

2

2

2

2

30

tates? si, sensuum testimonio standum esse, negas, quantumvis res, quam cognoscere instituisti, tibi considerata fuerit diutius, tum repetitis vicibus, diversis denique temporibus mutatoque locorum situ; secundum §. 6. reg. 2. Incassum Euangelistæ, incassum apostolus Paulus (*), testium catalogum nexuerunt illorum, qui Christum dominum a mortuis viderunt resuscitatum; si, quid de una eademque re experti sunt et alii, cognovisse nihil ad fallacias sensuum detegendas conducit evitandasque; secundum §. 6. reg. 4.

§. 11. Quod igitur inter omnes, qui rectæ rationis dictamen audiunt, satis constat, nec, nisi fanatico spiritu actis inque castris scepticorum militantibus, improbari potest, (id quod ad §. 8. notavimus), hoc magis homini christiano, maxime vero theologo, firmum esse debet et inconcussum. Nimirum, *ubicunque determinatarum rationum nulla adest, cur sensus objectum quoddam aliter nobis repræsentarent, quam idem in rei veritate est comparatum: tum si regulæ, fallaciis sensuum detegendis vitandisque, ex asse a nobis fuerint observatæ, sensuum utique testimonio sine ulla dubitatione standum est.* Si negas, non tantum miracula, firmissimas sanctissimæ religionis nostræ apodixes, sed et totam Christi historiam, qua tot fidei nostræ dogmata nituntur, funditus evertisti; per demonstrata §. 9. et 10. Vidit id ipsum PHIL. a LIMBORCH; cujus huc verba lubet adscribere, non ut auctoritatem dictis nostris conciliemus, sed ut etiam atque etiam expendendum proponamus, plurium iudicio observatum, periculum; in quod universam religionem Christianam conjiciunt, qui sensuum testimonium sive directe sollicitant, sive indirecte labefactant. *Si, inquit ille, sensibus, recte se habentibus, non sit habenda fides, nulla erit religionis Christianæ certitudo. Credenda quidem sunt multa, sensibus non percepta, non vero, quæ sensuum iudicio falsa esse deprehendimus. Totæ resurrectionis dominicæ certitudo, quæ nostræ resurrectionis totiusque religionis Christianæ fundamentum est, nititur testi-*

B 2 monio

(*) 1 Cor. XV, 5 -- 8,

monio sensuum, tanquam certissimo & cui contradici nequit 1 Joh. I. 1. 2 Petr. I. 16. Hoc vero si fallax sit, nulla nobis superest certitudo, potuitque Thomas, licet sensuum suorum experientia convictus, non credere resurrectionem domini. Sed vero sanius eum, hisce theologis, argumentatum legimus; statim enim se convictum fatetur, Joh. XX. 28. dicens, Dominus meus & deus meus (*). Faciamus jam regulæ nostræ applicationem ad transubstantiationem Pontificiorum missaticam, ac, quantum inconcusso huic sensuum testimonio defensores illius tribuant, dispiciamus.

§. 12. Credit et profitetur *Ecclesia Romano-Catholica*, in sacra domini nostri cæna, per consecrationem symbolorum eucharisticorum, a sacerdote legitime peractam, substantiam panis in substantiam corporis Christi, substantiam vero vini in substantiam sanguinis Christi, vere & realiter converti. Veluti cum Moses, percussis Ægypti aquis, substantiam illarum in substantiam sanguinis convertit; Christus, solo in nuptiis Canaiticis nutu, substantiam aquæ in substantiam vini convertit. Et hæc substantiæ unius rei, in substantiam alterius rei, conversio est illud, quod *Transubstantiationem* vocant. Sed, quoniam, aquis a Mose in sanguinem, a Christo in vinum, conversis, nihil, quod aquæ seu proprium est, sive accidit, superabat: per consecrationem vero symbolorum eucharisticorum, sola, ex sententia Romanensium, substantia convertatur in substantiam, manentibus symbolorum priorum figura, dimensione, colore, odore, sapore, fragilitate in micæ, conglobatione in turundulas cet. vides, non ullam dogmatis defensoribus invidiam conflandi animo, sed transubstantiationem istam ipsorum a transubstantiationum speciebus aliis rite distinguendi gratia, illam nobis dictam esse *Transubstantiationem missaticam*. Sive jam *Missæ* vocabulum, pro celebratione sacre domini cænæ, sive pro sacrificii, ex mente Pontificiorum

(*) PHIL. a LIMBORCH *Theologiæ Christianæ lib. V. cap. LXX. §. XI.*

23

24

2

2

2

2

30

rum incruenti oblatione, sive pro utraque ea actione, accipias (*). Omne illud, quod, transubstantiatione per consecrationem peracta, superat, ut sunt panis & vini figura, dimensio, color, odor, sapor cet. *Species panis & vini ecclesiae vocantur Romanae, nec non accidentia.* Auctores sententiae hujus Pontificiae nullos allegamus; ut quae satis cognita est, satis ab addubitantibus cognosci potest, ex verbis *Concilii Tridentini*, quibus anathematis etiam fulmine percutiuntur, quicumque in eandem dubitant concedere (**). *Tanta est fiducia formae!*

§: 13. Ad tria itaque, ut opinor, momenta tota revocari potest disputatio. An primo conversio substantiae rei unius in substantiam rei alterius sit possibilis? An secundo conversio substantiae rei unius in substantiam rei alterius, manentibus speciebus prioris substantiae (repete §. 12. verba in fine), sit figillatim possibilis? Et, si vel maxime posterior haec fingatur possibilis, an tertio deus fidem nostram tam dubioso exercere dicam, an confundere, voluerit spectaculo?

§. 14. Ad prius momentum quod adinet, nihil illud ex parte quoque nostra habet difficultatis. Possibile esse conversionem substantiae in substantiam, discimus ex verbis Johannis baptistae, patheticis non magis quam verissimis. *Potest, inquit, deus ex his saxis natos suscitare Abrahamo (***)*. Discimus ex conversionibus aquarum Aegyptiacarum

*) Vnde *Missa* dicta sit, et quid proprie eo vocabulo significetur, quoniam parum nunc nostra refert, a disputatione ea super sedemus: Multiplicem tamen vocabuli significationem cognoscendi cupidos, ac nihil minus illa, quam Pontificii doctores tuentur praecipue, denotantem, ad JOSEPHI BINGHAMI *Origines s. Antiquitates ecclesiasticas* relegamus. Vol. V. §. 4.

(**) *Concilium Tridentinum Sessioe XIII. canone II. collato, in praecedentibus, ejusdem Sessionis cap. 4.*

(***) Matth. III. 9. Luc. III. 8.

ptiacarum in sanguinem (*), Canaiticarum in vinum (**); quæ quoniam conversiones contigerunt re vera, quis de possibilitate dubitet? Ab actu ad potentiam semper valet consequentia. Sed neque philosophus de re dubitabit, qui expendere voluerit, pane corpora animalia, aqua vitium uvas, nutrirî; quæ nutritio nihil aliud est, quam conversio panis in carnem animale, aquæ in uveum succum, fundentem mustum, quod reddit vinum. Differentia est, quod, in exemplis miraculosis, conversio fiat in instanti, in naturalibus, successive: hic secundum leges naturæ, illic per immediatam potentiam divinam. Nam, *de modo*, disputationem nunc de industria declinamus; possumus enim, pro præsentis instituti nostri ratione, *ἵνα ὅτι* rei insistere. Et, quoniam res ipsa recte se habet; non enim tantum conversionis substantiæ in substantiam exempla revelatio nobis suppeditat, sed natura etiam quotidiana subministrat: si quis eam *Transubstantiationis* significare voluerit vocabulo, ego quidem de vocabulo nemini litem moverim. Si quando Protestantium ecclesiarum nostrarum theologi ipsum improbarunt vocabulum, tanquam inusitatum, novum ac barbarum, cum novitate vocabuli rei reprehendere voluerunt novitatem: non illi *Transubstantiationem in genere*, sed *missaticam* reprehenderunt *in specie*; ignotam sane Scripturæ, ignotam primitivæ ecclesiæ (**), nec nisi, quoad rem et vocabulum simul, barbaro enatam ævo. Atque hæc ad exaggeratam, ab Adm. Reu. P. SEEDORF *e Soc. Jesu*, liticulam, quam, hoc nomine, Protestantium ecclesiarum doctoribus non nullis iterum voluit movere, scilicet ut, disertissimus e Gallorum disciplina orator, campum

(*) Exod. VII. 20. seqq. (**) Joh. II. 8. seqq.

(**) Egrege profecto rem expedivit, & tam Scripturæ sacræ, quam veterum quorundam Patrum, testimonia, a corruptelis fecus sentientium vindicavit, Ernestinæ nostræ decus, b. IOH. HENICHVS in *Institutionibus suis theologicis cap. XV. quest. XXVI. pag. 738.*

23.

24.

2

2

2

2

30.

campum sibi aperiret in locum communem excurrendi patientiorem, paucis dicta sunt (*).

§. 15. Sequitur disputationis nostræ momentum alterum. An conversio substantiæ rei unius in substantiam rei alterius, manentibus speciebus prioris substantiæ, sit sigillatim possibilis? id quod negamus. Secundum enim legem posteriorem, quam nunc, methodi unius gratia, priori præmittimus, donec utramque jungamus, posteriorem, inquam, secundum legem, qua, sensuum testimonio standum esse, probavimus §. 7. & §. 10. doceant transubstantiationis missaticæ defensores, utrum pluribus sensibus, sive in re missæ, sive in re sacramenti, consultis, in sensus non incurrant panis & vinum? Enimvero vident missam celebrantes, vident sacramento utentes, panem: odorantur panem: tangunt panem: gustant panem: in ventriculum demergunt panem. Idem dictum esto de vino; qui eo potiuntur. Omnia secundum regulam Imam, §. 6. de detegendis vitandisque fallaciis sensuum. Nec, qui periculum fecerint symbola intuendi diutius, tum repetitis vicibus, diversis temporibus, mutatoque locorum situ, insitari potuerint, sensibus suis se usurpasse panem & vinum. Plane secundum regulam secundam §. eod 6. Considerantibus contrariæ sententiæ patronis arma sensuum, microscopia & telescopia, secundum regulam 3tiam ejusdem §. 6. nemo Protestantium e manibus hæc eis eripuerit, nemo liberaliter non subministraverit. Si, quid de iisdem denique symbolis experti sint & alii, requiras, ipsi, quibuscum hæc disputamus, respondent, species sese panis & vini percipere, id est, videre, olfacere, tangere, gustare panem & vinum, accommodate secundum regulam 4tam §. 6. Si negent, mittant species panis & vini, nihil sane significans, nomen & vocabula inania: fumant, se neque videre,

(*) Vide, occasione transubstantiationis vocabuli, ad locum de terminis theologicis communem cupide transilientem A. R. P. SEEDORF Wichtige Briefe cet. cet. p.m. 401. sqq.

re, neque olfacere, neque tangere, neque gustare *panem & vinum*, habituri eosdem sensus testes contrarios & irrefragabiles. Si enim regulæ detegendis vitandisque fallacis sensuum ex asse a nobis fuerint applicatæ, standum utique est sensuum testimonio (§. 7.). Sed sensuum testimonium, etiam post consecrationem symbolorum, sive missaticorum, sive eucharisticorum, est, nos videre, olfacere, tangere, gustare *panem & vinum*. Standum itaque est sensuum testimonio, adesse sive in missæ, sive eucharistiæ, actione *panem & vinum*. Atque adeo transubstantiatio missatica, substantiam panis & vini in substantiam corporis & sanguinis Christi conversam, ponens, contradictionem involvit. Ponit enim, ex irrefragabili sensuum testimonio adesse, in missæ seu eucharistiæ, *panem et vinum*: negat, per hypothesein, adesse *panem & vinum*. Quod sane contradictorium est: si contradictorium; impossibile. Transubstantiatio itaque missatica, ex sensuum iudicio, panem & vinum adesse ponens, per hypothesein vero, panem & vinum adesse negans, est impossibilis.

§. 16. Quæ quanquam sole meridiano clarius lucent, eluduntur tamen, sed profecto eluduntur tantum, distinctione arbitraria dicam, an precaria, inter *species panis & vini* nec non *substantiam panis & vini*. Qua distinctione arrepta, ajunt transubstantiationis missaticæ defensores, sensuum testimonium versari tantum circa species rei missaticæ, non penetrare ad substantiam rei missaticæ. Posse hinc omnes sensus percipere panem & vinum, ajunt, *quoad species*; ut tamen nihil minus percipiant, quam panem & vinum, *quoad substantiam*. Hic ego non repetam momentosam quaestionem, quam ipsi transubstantiationis patroni & asseclæ primi moverunt, nec nisi, post infinitas concertationes domesticas, vocabulis, quibus nulla subest notio, expediverunt, *Utrum, videlicet, accidentia, e quorum numero sint species panis & vini in sacramento eucharistiæ, existere possint vel sine subiecto, vel extra suum subiectum (*)*? Mitto hæc, ut qui unum

(*) EN Cardin. CAIETANI, ad quaestionem a Thoma Aquinate

testimonium sensuum vindicare, ejusque firmitatem afferere, constitui. Pergo itaque urgere, cum in actione, seu missæ seu sacramenti eucharistici, oculi videant, nares olfaciant, manus & labia tangant, palatus gustet, atque adeo omnes pæne sensus percipiant, panem & vinum, imo vero omnes regulæ logicæ, conjunctim sumtæ, nulla nos ratione dubitare patiantur, quin, quod percipitur, sit panis & vinum; quomodo negare poterimus, adesse illic re vera panem & vinum? Cardinalis ROB. BELLARMINVS, pro eo, ut ad objectionis momentum directe responderet, quæstionem miris modis implicat, & jam, sensus nos fallere, negat, jam sensuum fallacias exaggerat, jam aliud ex alio movet & commemorat, denique in eo, quod diximus, subsistit, *sensuum objectum proprium esse tantum species rerum: non esse objectum illorum ipsam rerum substantiam.* Quare, sensu nobis vel maxime in eucharistia percipientibus species five accidentia panis & vini; non ideo tamen sub sensum nostrum cadere substantiam panis & vini (*). Qua in re apertius THOMAS AQUINAS, Doctor ille Angelicus, Cum enim in objectionibus notasset, *fidem nostram non debere esse contra sensum;* in responsione ad hanc objectionem, testimonium sensuum non sollicitat, sed in eo nititur duntaxat, *fidem non esse contra sensum; sed esse de eo, ad quod sensus non attingit (**).* Ad quod momentum priusquam respondeamus, miscellanea BELLARMINI dubia, quibus irrefragabile sensuum testimonium, si non in-

C frin-

propositam, commentarium, *in quaestione ista, inquit, de accidentibus eucharistiæ, OMISSA TANTA OPINIONVM VARIETATE, ut solidior rationabiliorque via appareat, notandum duxi cet.*

(*) ROB. BELLARMINVS *De controversiis christiana fidei, Tomo III. lib. III. c. XXIV. p. m. 252.* ex edit. Colonien. a. 1615.

(**) THOMAS DE AQUINO *Summa theologicæ Parte III. super quaestione LXXV. artic. V. p. m. 460.* ex edit. Taurinensi a. 1582. *Cardinalis Thomæ a Vio Cajetani Commentariis illustrata.*

23

24

2

2

2

2

30

fringere, suspectum saltim reddere, laborat, juvat expendere.

§. 17. Scribit Eminentiff. CARDINALIS primo: *Illā sententia philosophorum, sensum non falli circa suum objectum, vera est: sed eget multis limitationibus, quæ notandæ sunt, ut videamus, quam debile fundamentum habeant adversarii.* Respondeo: Si, propter fallacias sensuum in genere (§. 1.), debile est adversariorum, quos impugnat, fundamentum; debile quoque est fundamentum religionis christianæ, quod petitur ex miraculis, sensibus perceptis: debile est fundamentum, quod petitur ex testimonio testium de resurrectione & ascensione Christi in cœlos (§. 10.). Si vero, propter regulas logicas, quibus rite applicatis, fallaciis sensuum semper superioribus nobis esse licet, religionis christianæ fundamentum, testimonio sensuum innixum, firmum est & inconcussum, sequitur ut & adversariorum, contra quos Cardinalis disputat, fundamentum firmum sit et inconcussum, quod ex testimonio sensuum, rite applicatis omnibus regulis logicis, ad dijudicandam transubstantiationem missaticam, petunt. Pergit CARDINALIS: *Primo vera est, sententia philosophorum, de objecto per se, id est, de accidentibus, non de substantia, quæ est objectum sensuum per accidens.* Hac de re in sequentibus nos responsuros recepimus; itaque progredimur. *Videmus enim, inquit, circa substantias etiam sensibiles homines falli frequentissime, cum ex sola apprehensione sensuum judicant: ut patet in glacie, quæ videtur crystallum, in aurichalco, quod non discernitur ab auro, & sic de aliis.* Deinde exemplum adfert ligni lapidefacti, lignum per omnia adhuc visui mentientis, cum lapis esset. Respondeo: Una admodum regula prima, ad detegendas vitandasque fallacias sensuum in genere, a nobis commendata (§. 6.), presentissimum adversum fallaciam istam esse poterit antidotum. Et, si quis refederit scrupulus morosius dubitanti, penitus eodem, alterius in ordine regulæ beneficio, liberabitur. An æque vero in dijudicanda re missatica, five sacramenti eucharistiæ? Persequamur dicta CARDINALIS: *Secundo, inquit,*

vera

vera est ea sententia de objecto proprio, non de objecto communi. Unde videmus homines passim decipi in iudicanda magnitudine stellarum, in figura baculi, in aqua existentis, in motu & quiete, cum navigamus, cet. Respondeo: Omnia hæc rationes determinatas suas habent, quas, si quis physicos volet consulere, nullo negotio cognoscet, idque ex præscripto regulæ 4tæ, a nobis traditæ (§. 6.). Quid, quod ex primæ quoque regulæ præscripto haud quidquam superabit dubii, ad eam adtendere volenti. Si superaverit, nihil morbi sentiet, ad dosin regulæ 2dæ recurrens. Instat CARDINALIS: Tertio, vera est de objecto proprio, si sint organum et medium bene disposita. Nam alioquin, etiam circa proprium objectum, falli possumus. Sæpe enim per viridia perspicilla colorem album putamus esse viridem: & gustus infectus dulcia iudicat esse amara. Respondeo: Nemo per colorata perspicilla eucharistiam percepit unquam, placentulam, quam accipit, triticeam & albam, viridem aut rubram cet. iudicaturus: nec, si qui, morbo infecti, gratum panis, dulcem vini, saporem amarum gustarunt, omnes, qui eucharistia utuntur, infectis sensibus ad ejus usum accedere censi possunt. Ad extremum scribit Eminentissimus AVCTOR: Quarto, vera est de objecto proprio in generali: nam IN PARTICULARI VIDETVR posse contingere error, etiam organo et mediis recte dispositis. Vera est, inquam, de objecto in genere: quia sensus videndi non errat unquam in eo, quod apprehendit, colorem vel lumen. Nullo enim modo fieri potest, ut apprehendat saporem & odorem, aut aliquid aliud, excepto colore et lumine - - - Nam, in iride, iudicant oculi verissimos esse colores, qui tamen non sunt, nisi lumen reflexum. Respondeo: Multa, his corrigendis, dici possent, cum ex recentiorum physicorum disciplina, tum ex sensu communi. Studio autem brevitatis, unas diffuse dictis regulas nostras logicas opponimus; neque enim dubitamus, quin iridi omnibusque nubibus & nebulis pares sint disjiciendo. Atque adeo nollem tam lubricis contra sensuum testimonium dubitandi rationibus suis, vir ceteroquin acutus & perspicax, epiphonema

23

24

2

2

2

2

30

nema subscripsisset; quod, quantum Patrum, quos susce-
pit, auctoritatem extollit, tantum, non modo testimonium
sensuum, sed etiam cum testimonio sensuum, firmo illo
& irrefragabili, sanctissimæ religionis nostræ primaria fun-
damenta, subruit. Scribit enimvero: *Cum igitur hæc ita
sint, merito Patres reprehendunt eos, qui ex apprehensione sensuum
de hoc sacramento, ET ALIIS REBUS FIDEI, judica-
re volunt (*)*. Repete, si libet, ad §. 9 - 11. a nobis dicta,
ut apertissime tibi luceat *δευολογια*.

§. 18. Convertamus jam nos ad objectionem secus
sentientium primariam, cum ajunt, *sensus versari tantum
circa species s. accidentia rerum, non versari circa substantiam
rerum*. Posse hinc sensus omnes nostros, in sacra eucharis-
tia, percipere *species panis & vini*, figuram, colorem, nido-
rem, saporem cet. non ideo tamen percipere *substantiam pa-
nis et vini*. Sed respondemus: Si, quod ajunt, *sensus nostros
non versari circa substantias rerum*, idem sit ac sensus nostros
non sufficere ad prima rerum materialium elementa, quæ
proprie sunt substantiæ, distincte cognoscenda, propositio-
nem sine ulla dubitatione admittimus. Prima enim rerum
materialium elementa nullo sensu, ac ne armato quidem,
nos distincte posse percipere, id est, elementum ab elemento
discernere, quodvis cum mutationibus suis intrinsicis figil-
latim nobis repræsentare, repræsentata ordine enumerare,
quam liberalissime concedimus (**). Sed hoc nihil facit
ad momentum controversiæ nostræ. Si enim, sensuum te-
stimonio standum esse, negas, quoniam illorum ope prima
rerum materialium elementa, quæ proprie sunt substantiæ,
distincte nobis cognoscere non datur; nulla circa ullam rem
materiam testimonii sensuum erit certitudo; nullam enim
rem materialem sensuum ope ad eum modum cognoscimus.
Nulla

(*) ROB. BELLARM. De controversiis cet. lib. III. cap. 24.
p. m. 252.

(**) Vid. Perill, DN. DE WOLFF *Psychologia rationalis*
§. 99 - 101.

substantiam panis & vini, dogma transubstantiationis misfaticæ contradictorium est: si contradictorium, impossibile. Et, si impossibile, tantum abest, ut inter dogmata christianæ fidei mereatur referri, ut etiam hoc magis obelo configendum sit, quo plus detrimenti fidei parit christianæ. Si enim ex speciebus, quas vocant, panis & vini, five accidentibus, non licet colligere substantiam compositam, eamque ad suum genus vel speciem competentem referre, vanus fuit, sit venia verbo, architriclinus, in nuptiis Canaiticis, qui, ex unis speciebus, sapore nempe, et forte colore atque odore, generosissimum judicabat esse vinum, quod prius aqua fuit. Aut dicet empæcta aliquis, Christum dominum, perinde ac in sacramento eucharistiæ, solam substantiam aquæ in substantiam vini convertisse, relictis omnibus accidentibus prioribus: atque adeo hospites vidisse, olfecisse, tetigisse & gustasse aquam; bibisse tamen generosissimi vini substantiam. Quod idem de reliquis Scripturarum divinarum miraculis fit dictum. En! quo rem devenire necesse est denique.

§. 20. Transeamus ad prius principium, quibus certitudo nititur cognitionis nostræ, ejus, inquam, cognitionis, quæ quidem a sensibus originem ducit. Principii tenor est: *Ubicunque determinatarum rationum nulla adest, cur sensus objectum quoddam aliter nobis repræsentarent, quam idem in rei veritate est comparatum, sensuum testimonium sollicitari non potest, nec debet* (§. 7.). Desiderantibus jam nobis determinatam ejusmodi rationem, nullam ex omnibus illis, quas ad §. 5. recensuimus, allegare possunt. Sed neque id demonstratum dare in animum unquam induxerunt, verum, omissis rationibus physicis, ad unam Christi recurrerunt institutionem, & ab immediata voluntate atque potentia divina rationem arcessiverunt supernaturalem. Sic enim BELLARMINVS, *Ad argumentum Scoti dico, inquit, nihil esse falsi in signo sensibili eucharistiæ; quia accidentia illa significanc,*

20.

gnificant, naturaliter sub illa specie latere substantiam panis: & ideo, nisi, praeter cursum ordinemque naturæ, deus aliquid faciat, per illa accidentia venit in cognitionem substantiæ. Accipe ex his, lector, ratiocinii nostri, in præcedente paragrapho 19. firmitatem. In eucharistia autem, non naturaliter, sed supra ordinem naturæ, fit, ut sub illis accidentibus desit substantia panis. Itaque in ipsis signis nulla est falsitas, cum id solum significant, naturaliter sub illa specie latere substantiam panis. Quod si imaginatio hominum fallitur in hac re, id nascitur ex ipsorum vitio. Nam vel sunt fideles, vel infideles. Si fideles, non falluntur; quia sciunt, testimonio dei & ecclesiæ, ibi esse accidentia, sine substantia. Si infideles, falluntur, vel quia credere nolunt deo & ecclesiæ, vel, si forte non audierunt quidquam de hoc mysterio, falluntur simpliciter ex ignorantia mysterii, non ex falsitate, quæ sit in re. Et hoc nullum est absurdum. Nam hoc modo fallebantur etiam sancti viri Abraham, Loth, Tobias, Manue, Gedeon & alii; qui angelos, in specie humana sibi apparentes, veros homines esse credebant, & ut homines tractabant. Et duo discipuli fallebantur, qui dominum peregrinum aliquem esse existimabant, & Magdalena, quæ eundem hortulanum esse putabat (*). Vides Eminentissimum controvertistam directe ad argumentum Scoti non respondere: nec vero nobis, qui Scotum ad manus non habemus, responsionis, quam doctor ille scholasticus dedisse dicitur (**), frugem nunc probare licet. Recurret tamen materia, in tractatione membri disputationis nostri tertii, quod ad §. 13. indicavimus. Itaque, in præfenti, ad rationem illam determinatam supernaturalem, quam Bellarminus urget, quod res est, reponemus, quatenus eandem sibi invenisse visus est in testimonio dei & ecclesiæ. Respondemus enim vero ad utrumque, paucis prius ad ea quoque repositis, quæ, sine re, & tantum ut quæstionem confun-

(*) BELLARMINVS *De controversiis christiana fidei lib. III. cap. 24. p. m. 253.*

(**) Dicitur nempe eidem BELLARMINO *loc. cit. p. m. 252.*

confundat, sensuum denuo testimonium suspectum nobis redditurus, profert.

§. 21. Quod ait, *fideles falli imaginatione, non falli testimonio dei & ecclesia*, dupliciter notandum venit. Non enim imaginatione, vel, accuratius loquendo, sensibus suis, ante dici possunt falli, quam demonstratum fuerit, sensus nostros nos fallere, tamen regulæ logicæ, detegendis vitandisque fallacis sensuum, ex asse a nobis fuerint observatæ & applicatæ. Nec dei & testimonio ecclesiæ dici possunt non falli, quam demonstratum fuerit, velle aut deum contradictoria credenda nobis injungere, aut posse ecclesiam id a nobis desiderare. Quod vero subjungit, *falsos hoc modo etiam sanctos fuisse viros, Abraham, Lothum cet.* aut sensibus suis falsos fuisse adfirmat, aut iudicio, citra testimonium sensuum lato? Si prius: negamus sensibus suis falsos fuisse; apparuerunt enim angeli præfati sanctis dei viris in corpore assumto; vere itaque sancti illi dei sensibus perceperunt, quod purissimi spiritus assumerunt, corpus, cujuscunque illud fuerit qualitatis. Si posterius: admittimus sane falsos fuisse, idque propterea, quoniam, citra testimonium sensuum, iudicium illud tulerunt, negantes, si quidem negarunt re vera, adesse seque pro objecto quidquam habere præterea, quam corpus nudum & homines nudos. Quo exemplo nihil *Bellarminus* ad illustrandam Evangelico-Lutheranorum sententiam, de sacra domini eucharistia, adferre accommodatius potuit aut illustrius. Non falsi sunt sancti illi dei, cum viderent angelos, in assumto corpore humano; corpus enim humanum, cujuscunque qualitatis illud fuerit, corpus tamen humanum, aderat, idque pro objecto habebant: sed falsi sunt sancti dei viri, si quidem sensuum iudicium eo usque extenderunt, ut negarent, adesse seque pro objecto quidquam habere præterea, quam corpus nudum & homines nudos. Sic etiam, videmus in sacra cœna panem & vinum; panis itaque & vinum adsunt revera: & hactenus non fallimur. At, si quis sensuum testimonium eo usque exten-

2/3
2/4
2
2
2
30

extenderet, ut negaret, adesse quidquam in sacra cœna, præter panem & vinum; quoniam citra sensuum suorum testimonium iudicat, laberetur. Plane huc quadrant LIMBORCHII illa verba, superius a nobis §. 11. allegata: *Credenda sunt multa, sensibus non percepta: non vero, quæ sensuum iudicio falsa esse deprehendimus.* Denique, quod discipuli Emauntici Christum dominum peregrinum aliquem, Magdalena hortulanum, iudicabant, minus habet difficultatis; possunt enim ejus rei aliæ quoque causæ adferri.

§. 22. Restat, ut dispiciamus, de ratione determinata supernaturali, quam Bellarminus, in testimonio dei & ecclesie, sibi visus est reperisse, vid. §. 20. Ad testimonium ecclesie respondemus. Compertum Protestantibus nobis est atque exploratum, ecclesiam primitivam Christianam, usque ad seculum IX, quo vixit PASCHASIVS RADBERTVS, Abbas Corbeiensis in Gallia dioceseos Ambianensis, dogma illud de conversione symbolorum eucharisticorum, panis nempe & vini in corpus & sanguinem Christi, si non ignorasse, publice saltem professam non esse. Si qui, ante Paschasium hunc, ambigue locuti sunt Patres, aut hyperbolice, commodum tamen verba ipsorum, si forte locum unum Joh. Damasceni, &, qui hunc secutus est, Epiphanium quendam Diaconum, excipias, sensum adhuc admittere, abunde a nostratibus est ostensum (*). Sed circa a. 818. sustinuit PASCHASIVS RADBERTVS, dubium est, conversionemne symbolorum naturalium, an potius impanationem (**), ut vocant, in medium proponere at-

D que

(*) Junge sis b. HENICHIO, ad calcem §. 14. a nobis allegato, b. MARTIN. CHEMNITIVM, in *Examine concilii Tridentini* Parte II, Loco IV. Sect. 4. p.m. 380. fqq. ex ed. Francof. de a. 1707. Ex novissimis vero *Illustrem*, ut fama est, *Scriptorem*, qui, quoniam nomen suum prodere noluit, nobis quoque tacendus erit, in libello, *Beantwortung der zwölf Briefe des Hrn. P. SEEDORFS* cet. Tübingen a. 1750. in 8.

(**) Conversionem a Paschasio defensam volunt scriptores Pontificii; summis hinc laudibus exornatur a Bellar-

que ex professo defendere. Nactus vero mox adversarios acerrimos, in primis BERTRAMVM, five RATRAMVM, presbyterum primum ejusdem Corbeja, in qua vixit Radbertus, Abbatem deinde Orbasiensem in Gallia, parum cum novitia sua profecisset sententia, nisi BERENGARIVM, fortissimum ante alios Paschafii Radberti confutatorem, Bertrami contra defensorem, Pontifex ejus temporis Romanus *Leo IX*, seculi XI. medio, damnasset. Dubium hoc quoque loco manet, utrum conversionis symbolorum in S. eucharistia naturalium, an impanationis, dogma, an denique utrumque, fuerit a Berengario rejectum? Sed, sub *Gregorio VII. Hildebrando* Pontifice Romano, cum denuo Berengarii sententia, in concilio Romano, a. 1079. damnaretur, expresse jam, de *substantiali conversione corporis & sanguinis Christi*, coeptum est differi, idque pro dogmate ecclesiae reputari. Sed, non convenisse de modo conversionis professoribus illius & defensoribus, Protestantium doctores probarunt, cum ex aliis illorum temporum scriptoribus, tum ex magistro illo sententiarum, *Petro Lombardo*. Et sic hæsitabant, sic disceptabant, modumque conversionem definiendi quærebant doctores, qui Lombardum secuti sunt, scholastici, donec Pontifex Romanus *Innocentius III.* in concilio Lateranensi, a. 1215. sub *Transubstantiationis* denominatione, fidei articulum, crassis tenebris involuta, obruderet

mino in de Scriptoribus ecclesiasticis libro. Contra, impanationis dogma eidem tribuit Ioh. Cosyn in Historia Transubstantiationis. Ceterum, quid sibi velit impanatio, lege b. Joh. Fr. Buddeum in Institutionibus theologiae dogmaticæ pag. m. 1503. ex edit. de a. 1723. & quos ille citat præterea, in primis Christophorum Matth. Pfaffum in Dissert. de consecratione veterum eucharistica. Legi duumviros illos velim, ut aperte cuivis pateat, toto ab impanationis dogmate cælo distare sententiam, quam ecclesia nostra Evangelico-Lutherana amplectitur & profitetur. Nobis nunc in materia, a scopo nostro aliena, longioribus esse non licet.

deret ecclesiæ; cujus tenor fuit, ut, quicumque deinceps Christi corpus & sanguinem, in sacramento altaris, sub speciebus panis & vini, transubstantiatis pane in corpus & vino in sanguinem, veraciter contineri negaverint; eos omnes, cujuscunque dignitatis, ordinis aut officii, secularibus potestatibus animadversione debita, puniendos traderet. Nunquam tamen, a dogmatis ortu ad concilium usque Tridentinum, infinitæ concertationes inter illos ipsos defuerunt, qui sedis alioquin Romanæ placita, tanquam e cælo demissa oracula, amplexantur. Addimus, tametsi concilii Tridentini Patres anathematis fulmine percuterent, nolentes in suam sententiam concedere, universos; multiplicium tamen controversiarum inter ipsos doctores suos segetem, de modo conversionis, non eruncarunt. Totum hoc argumentum doctissimis scriptis expediverunt IOH. COSYNVS in *Historia transubstantiationis*, PETRVS ALLIXIVS in *præfatione ad Ioh. Parisiensem*; equibus rem omnem compendio refert HADRIANVS a CATTENBVRGH (*), quem potissimum secuti sumus. Frustra itaque transubstantiationis missaticæ patroni ad testimonium ecclesiæ primitivæ & purioris provocant: testimonium ecclesiæ, medio ævo fenescantis ac magis magisque deficientis, non poterat, neque debebat, *Bellarminus* hæreticis, quos vocat, sui temporis opponere; apud quos bene noverat, ecclesiæ auctoritatem, in rebus fidei, nullam esse; nisi quatenus firmis Scripturæ sacræ innititur testimoniis. Nam ecclesiæ auctoritatem simpliciter non rejicimus: sed auctoritati Scripturarum divinarum subjicimus. Quid, quod primitivæ & purioris ecclesiæ auctoritatem nullam transubstantiationis missaticæ affectæ opponere nobis possint. Cadit itaque determinata illa ratio supernaturalis, cur sensuum

D 2 testi-

(*) HADRIANVS a CATTENBVRGH in *Spicilegio theologiae christiane Phil. a Limborch* lib. IV. cap LXVI. Sect. II. Conf. b. nostri HENICHI *Institut. Theologicar. Quæst. XXVII. pag. 744.*

2/3
2/4
2
2
2
30

testimonio standum non sit, desumpta ex testimonio ecclesie.

§. 23. Ad testimonium dei, ex Scriptura sacra peti-
tum, duo reponimus: unum ex mente ecclesie nostrae Eu-
angelico-Lutheranae, alterum ex confessis, si non conces-
sis, Romanensium. Quod ex mente ecclesie nostrae re-
ponimus, eo collineat. Convenit inter nos Euangelico-
Lutheranos & Pontificios de vera, reali & substantiali cor-
poris & sanguinis Christi, in sacra eucharistia, praesentia:
non convenit de vera reali & substantiali panis & vini praesentia. Duplicem nos substantiam, in sacra cena, praesentem
statuimus; quarum *rem alteram caelestem*, corpus nimirum &
sanguinem Christi, *alteram terrestrem*, panem nempe & vinum,
technice vocamus. Pontificii praesentiam substantiae terrestris
inficiantur, nec, nisi substantiam caelestem praesentem esse,
profitentur. Verba, quibus utraque pars nititur, sunt verba in-
stitutionis Christi, *Accipite, comedite, hoc est corpus meum*. Qui-
bus verbis genuinum suum de vera, reali & substantiali praesentia corporis Christi, sensum & veritatem aliter consta-
re negant Pontificii, nisi statuatur, panis substantiam in
corpus Christi converti. Illud vero tam diu a nobis ut fal-
sum rejicitur, donec sensuum testimonium, pro adstruen-
da substantiali panis praesentia, manebit inconcussum, &
verbis Christi, admissa praeterea substantiali corporis Chri-
sti praesentia, sua ex asse constabit integritas. A quo praesentia
ut nos depellant, BELLARMINVS urget pronomen
demonstrativum HOC, validissimeque contra eos dispu-
tat, qui illud de solo pane accipiunt (*). Sed aera caedit;
non enim ecclesia nostra illud de solo pane intelligit, sed
de tota re sacramenti, de utraque re terrestri & caelesti, pa-
ne, inquam, & corpore Christi. Cur vero, in praedica-
to verborum institutionis, unius rei caelestis, sive corpo-
ris Christi, fiat mentio, eleganter ostendit b. noster IOH.
HE-

(*) BELLARMINVS *De controversiis christiana fidei lib. III.*
cap. 18. pag. m. 243. sq.

HENICHIVS, cujus locum, etsi paulo longiorem, hoc huc libentius transcribimus, quo rarius jam *Institutiones* ipsius *theologicae* apparent, quove plus luminis verba ipsius fœnerantur theoriæ nostræ, de sensuum in hoc sacramento testimonio, extremis præcipue ad §. 21. dictis nostris; quibus docuimus, recte nos stare sensuum testimonio, quoad objecta, quæ sub sensus cadunt, non recte vero testimonium nos sensuum extendere ad objecta, quæ sub sensus non cadunt. Itaque, cum panis eucharisticus sub sensus caderet, non opus erat, ut ejus singularem mentionem Christus dominus faceret, in prædicato verborum institutionis: opus vero erat, vt corporis sui mentionem faceret, quia illud, quatenus discipulis fuit exhibitum, & adhuc exhibetur in sacra cœna, sub sensus non cadebat. Plane ut, in apparitionibus angelorum, nihil opus fuit, ut sancti dei de humanis ipsorum corporibus assumtis, quæ sensibus usurpabant, admonerentur: opus vero quam maxime fuit, ut angelorum aliquem, cujus substantiam sensibus non usurpabant, sibi apparuisse, vel verbis exferis, vel signo aliquo edito, admonerentur. Sed audiamus amabilem & convincentem suadam HENICHII. *Sensus*, inquit, *verborum Christi hic est: Accipite, comedite, hoc, quod ego vos una cum pane comedere jubeo, est corpus meum. Sermo scilicet, quo usus est servator, recte exhibitivus vocari potest, eoque nullus fere alius, communi usu, magis frequentatur. Quando enim plura sunt conjuncta, quæ tradimus & exhibemus, tunc voce, prædicati loco a nobis posita, exprimimus, quod alioquin incognitum est, aut sensibus minus obvium. Ita, si quis alicui poculum, repletum vino, porrigat, non ait, accipe, bibe, hoc est poculum: Sed, accipe, bibe, hoc est vinum. Poculum enim videt is, cui illud traditur, sed quid poculo contineatur, ipsi latet; & adeo ab eo, qui porrigit, exprimitur. Vera autem est illa propositio, accipe, bibe, hoc est vinum; etiamsi poculum non sit conversum in vinum. Ita, quum Christus dominus panem benedictum discipulis porrigeret, duæ ibi res erant, panis et corpus Christi. Panem esse, qui porrigeretur, di-*

2/3
2/4
2
2
2
2
30

scipuli oculis suis videbant; id ergo ut indicaretur, nihil opus erat. At, una dari corpus Christi, nemo ipsorum scrivisset, nisi ipse dominus id indicasset. Hinc ipse non ait, accipite, edite, hoc est panis & corpus meum: sed tantum, quod latebat, exprimit & dicit, hoc est corpus meum. Sicut autem Christus corpus suum, una cum pane, præsens exhibere potest, tametsi non convertatur substantia panis in venerabile ejus corpus; ita etiam, absque ejusmodi conversione substantiali, veritas allatis Christi verbis sufficienter constare potest. Sic Matthæi XVII, 27. Petrus, jussu servatoris, cepit piscem, in cujus ore stater inveniebatur. Si Christus caput illius piscis, in manus sumtum, Petro porrexisset & dixisset, hoc est argentum, quod, pro me & te, exactoribus dabis, vere ita dixisset, etiamsi caput piscis in argentum non convertisset. Falsissima igitur est hæc propositio, Qui, porrecto pane benedicto, dixit, edite, hoc est corpus meum, is panem benedictum convertit in corpus suum. Si vera esset ista propositio, hæc quoque foret vera; Qui, porrecto capite piscis, Petro vere dixisset, accipe, hoc est argentum, is caput piscis convertisset in argentum. At hæc est falsa. Nam subsumo. At, porrecto capite piscis, a Petro capti, Christus vere Petro dixisset, accipe, hoc est argentum. Ergo. Conclusio est falsa: Minor est vera. Ergo falsam oportet esse Majorem (*). Vidit hæc monuitque iam b. MART. CHEMNITIVS, in *Examine concilii Tridentini* (**). Ad quæ respondens Bellarminus, adeo titubat, adeo in omnem sese partem vertit, ut denique non inveniat, ubi pedem tuto figat, nisi in his, quod, secundum sententiam nostram, debuisset Dominus dicere, hoc non tantum est panis, sed etiam corpus meum. Retorqueo: secundum Bellarminum et ecclesiam Romanam, debuisset dominus dicere, hoc, ex conversa panis substantia relictis omnibus accidentibus, est corpus meum

(*) IOH. HENICHIVS *Institutionum theologicarum Quæst.* XXVI. pag 738.

(**) MART. CHEMNITIVS *Examinis concilii Tridentini P.* II, loc. IV, Sect. IV. p. m. 377.

metum. Deinde, ex *Henichianis* nostris satis jam perspicere licet, cur Christus dominus unius corporis sui, non etiam panis, in prædicato verborum institutionis, meminere. Postremo claudit disputationem suam contra nosrates **BELLARMINVS**, *Adde quod, licet in verbis Domini esset aliqua obscuritas vel ambiguitas, ea tamen sublata est per multa concilia catholica ecclesie, & Patrum consensum (*)*. Expressius etiam **ANDRADIVS**, post mediocrem, notante *Chemnitio*, velitationem, transubstantiationem collocat inter illas res, quæ nullis *Scripturæ sacræ testimoniis aperte definitæ & explicata sunt (**)*. Accipimus, quod dant: quid autem dant? nisi falso abs se jactari testimonium dei, contra irrefragabile testimonium sensuum, imo contra irrefragabile testimonium *Scripturæ*, quæ, post benedictionem symbolorum eucharisticorum, vinum adhuc vocat genimen vitis *Matth. XXVI. 29. panem vero panem I Cor. XI. 26. 27. 28.* Quæ cum ita sint, ubi jam dilaudata illa ratio determinata supernaturalis, contra testimonium sensuum, refidet, ex testimonio petita divino?

§. 24. Sententiam nostram, prout eam explicavimus hæctenus, probabiliorem esse & expeditiorem, probamus secundo ex confessis, si non concessis, complurium *Doctorem Romanensium*. Ex confessis, inquam, si non concessis. Nam non nulli inter objectiones contra transubstantiationem eam referunt, nec habent, quod digne respondeant, aut præterea regerant, quam quod improbata fuerit ecclesie. At quidam simpliciter eam judicant esse expeditiorem. Quæ ipsorum dicta, totidem veritatis, quam profitemur, testimonia, largiore proventu collegit summus theologus b. noster **IOH. GERHARDVS**, ad *cujus Confessionem catholicam cognoscendi cupidos remittimus (***)*. Vnum nobis

(*) **BELLARMINVS** *De controversiis l. III. cap. 19. p.m. 244. E.F.*
 (***) **ANDRADIVS** apud *Chemnitium in Examine conc. Trid. pag. m. 378.*
 (***) **IOH. GERHARDVS** *Confessionis catholicæ lib. II. part. II.*

23
24
2
2
2
30

nobis atque alterum sufficiat protulisse. IOH. DVNS SCOTI ista sunt: Circa hoc quaesitum (de conversione in eucharistia) erant tres opiniones. Una, quod panis manet, & tamen cum ipso vere est corpus Christi. Alia, quod panis non manet, & tamen non convertitur, sed desinit esse, vel per annihilationem, vel per resolutionem in materiam, vel per corruptionem in aliud. Tertia, quod panis transubstantiatur in corpus, & vinum in sanguinem Christi. At 1, veritas eucharistiae salvari potest, sine ista transubstantiatione. 2, Substantia panis sub speciebus magis est nutrimentum, quam accidentia; ergo magis representat corpus Christi, in ratione nutrimenti spiritualis. 3, Iste intellectus, quod non sit ibi substantia panis, videtur difficilior ad sustinendum, & ad ipsum sequuntur multa inconuenientia, quam ponendo, ibi esse substantiam panis. 4, Mirum videtur, quare in uno articulo, qui non est principalis articulus fidei, debeat talis intellectus asseri; PROPTER QVEM FIDES PATEAT CONTEMPTVI OMNIVM, SEQVENTIVM RATIONEM. GVILIELMI OCCAM hæc sunt: Substantiam panis manere, hoc dogma est minoribus incommodis obnoxium, & sacris scripturis minus repugnans. Et iterum: In potestate dei est, esse substantiam sub specie panis, & non esse. Ejus primus modus potest teneri; quia non repugnat rationi, nec auctoritati Bibliae: et est rationabilior & facilior ad tenendum inter omnes modos. Quia tamen DETERMINATIO ECCLESIAE IN CONTRARIVM EXISTIT, communiter tenent doctores, quod ibi non remaneat substantia panis. PETRI DE ALIACO Cardin. Episc. Camerae. ista sunt: Tertia opinio fuit, quod substantia panis remanet. Quidquid tamen sit de hoc, patet, quod ille modus sit possibilis, nec repugnat rationi, nec auctoritati Bibliae: imo est facilior ad intelligendum & rationabilior, quam aliquis aliorum, qui ponit, quod substantia panis deserat accidentia sine subiecto. Quod est unum de difficilibus, quæ hic ponuntur.

Vnum

art. XIV. cap. 2. pag. m. 1142. sqq. ex edit. Francofurti & Lipsiæ a. 1679. in Fol.

Vnum his, ex SCOTO, adjungimus, ut pateat, perspectum jam homini acuto fuisse, quod pluribus ex *Henichio* nostro superius enarravimus: cur scilicet duorum conjunctorum unum tantum, in prædicato verborum institutionis, Christus expresfit, & quidem *non panem, sed corpus suum?* Scribit vero: *si dicas, sicut unus doctor* (intelligit Thomam Aquinatem), *quod Matth. 26, dicendo, hoc est corpus meum, expresse insinuat, panem non manere; quia tunc propositio esset falsa; HOC NON COGIT. Quia dato, substantia panis maneret, non demonstratur substantia panis, sed contentum sub pane. Sicut modo non demonstrantur accidentia; quia tunc propositio esset falsa. Sed est sensus, HOC ENS, CONTENTVM SVB ISTO SIGNO SENSIBILI, EST CORPVS MEVM.* Et postea subjungit: *Verum est, quod hoc est corpus meum, et, hic est corpus meum: non hoc accidens, sed contentum sub accidente. Eodem modo, si esset panis, non hoc, quod est substantia panis, esset corpus: sed hoc, quod est contentum sub pane, esset corpus.* Maluit autem *Sabvator* uti vocabulo *HOC*, quam *HIC*; quia magis exprimitur veritas, licet utrumque dictum esset verum. Hæc, & id genus plura, quæ libro citato adfert *Gerhardus*, doctores scripserunt scholastici; cum aliquis adhuc locus veritati esset, nec sapiens in omnes secus sentientes partium studium scribentium animos, linguas & callamos exacuisset. Quatuor vero potissimum ex his ipsorum testimoniis liquido colliguntur. *Vnum*, quod, transubstantiationem ex Scriptura sacra probari non posse, bona fide agnoverunt: *alterum*, quod, conjunctionem panis & corporis Christi, in S. eucharistia, repugnare sacris literis, negarunt: *tertium*, quod, hanc sententiam faciliorem, convenientiorem & rationabiliorem esse, judicarunt: *quartum*, quod, transubstantiationem, tantum ob determinationem ecclesie, communem sententiam evasisse, præ se tulerunt.

§. 25. Atque ex his omnibus demum colligimus. Quoniam determinatarum rationum nulla adest, cur sensus symbola panis & vini in S. eucharistia aliter nobis representarent, quam sunt comparata re vera (§. 20.): nec

ratio aliqua determinata supranaturalis demonstrari a Pontificiis potuit, aut potest (§. 22. et 23.): Quoniam præterea regulis omnibus logicis, ad detegendas vitandasque fallacias sensuum, ex asse applicatis, sensus pane omnes de symbolis panis & vini testimonium edunt (§. 15.); standum utique est sensuum testimonio, sineque ulla dubitatione amplectendum, in S. eucharistia, adesse panem & vinum. Quare transubstantiatio missatica, ex sensuum testimonio, panem & vinum in S. eucharistia adesse ponens, & iterum, panem & vinum, ex assumpta hypothese, adesse negans, est contradictoria (§. 15.); manetque, non obstante distinctione inter substantiam & species, sive accidentia, panis & vini, contradictoria (§. 19.). Si contradictoria, est impossibilis.

§. 26. Ultimo loco edisserendum nobis (§. 13.) summus. Si transubstantiatio missatica (§. 12.) vel maxime fingatur possibilis, an deus fidem nostram tam dubioso exercere dicam, an confundere, voluerit spectaculo? Facilis & expedita, ex hæcenus a nobis dictis, *in partem negativam* est quaestio. Firmæ in ceteris sanctissimæ religionis nostræ apodixes sunt miracula, a Christo & sanctis dei viris, sub veteris & novi fœderis œconomia, perpetrata. Repete ad §. 9. dicta. Miracula vero nituntur irrefutabili sensuum testimonio. At, Quicumque aliquid instituit, quo sensuum testimonio standum non est, quamvis nec determinatarum rationum ulla adsit, cur sensus objecta sua aliter nobis repræsentarent, quam eadem in rei veritate sunt comparata, quamvis item regulæ omnes logicæ, detegendis vitandisque fallaciis sensuum, ex asse a nobis fuerint observatæ; is profecto aliquid instituit, quo irrefutabile sensuum testimonium factum est refutabile. Repete in primis ad §. 9. dicta. Si tamen transubstantiationem missaticam fingamus possibilem, Christus sane deus aliquid instituit, in quo sensuum testimonio standum non est, quamvis nec determinatarum rationum ulla adsit, cur sensus panis & vini objecta sua aliter nobis repræsentarent, quam eadem in rei veritate sunt comparata, quamvis item regula

la

lae omnes logicae, detegendis vitandisque fallaciis sensuum, ex assè a nobis fuerint observata. Ex quo consequitur, ut, si transubstantiationem missaticam possibilem esse fingamus, Christus deus aliquid instituerit, quo irrefutabile sensuum testimonium factum est refutabile. Ex quibus porro inferimus, ut, quantum fidem nostram per miracula, sensuum testimonio innixa, voluit confirmare, tantum per hoc suum institutum eandem fidem nostram voluerit infirmare. Id vero neque sapientiae ipsius summae est conveniens, nec bonitati summae: non sapientiae, vi cuius in eligendis mediis, ad obtinendum finem suum, errare non potest: non bonitati, vi cuius mediis, quae eligit, dubios & ancipites nos reddere haud potest. Pari ratione demonstrare possemus, cum historia Christi nitatur testimonio discipulorum ipsius, testimonium vero discipulorum ipsius sit testimonium sensuum; quod si testimonium sensuum infirmetur ac juguletur, uti, transubstantiatione missatica tanquam possibili admissa, labefactatur imo jugulatur re vera; nihil jam est, quod testimonio discipulorum Christi nitatur, idque contra hostes veritatis & seculi nostri empactas strenue urgeamus. Repete iterum ad §. 10. & 9. dicta. Quod iterum non cadit in deum, ut, eodem sensuum testimonio nos de veritate certiores reddere, eoque de veritate nos dubios voluerit efficere.

§. 27. Sed neque analogiae sacramentorum est consentaneum, voluisse deum tam dubioso spectaculo, quale transubstantiationis missaticae hypothesis celebrat, fidem nostram exercere, an potius confundere. In nullo enim sacramento, vel veteris vel novi testamenti, substantia rei terrestri convertitur, unis relictis speciebus sive accidentibus. Sed argumentum, ab analogia rerum ejusdem generis vel speciei petatum, tam in coronis philosophorum quam theologorum, maximi semper habitum fuit ponderis. Imo, si verum est, sacramenta esse actiones, in quibus sub visibilibus signis, non tantum quoad accidentia, sed, per eandem analogiam, quoad substantiam quoque,

2/3
2/4
2
2
2
2
30

invisibilem suam gratiam deus nobis offert, aut obfignat; transubstantiationis missaticæ hypothesis cum natura & indole sacramentorum e diametro repugnat. Pugnât vero etiam cum fine sacramentorum. Sunt enim sacramenta eo a deo sine instituta, ut, quoniam gratia, quam nobis offert in spiritualibus et cælestibus, aut obfignat, sub sensu non cadit, natura autem plerique omnes ita comparati sumus homines, ut illud tantum sine omni dubitatione amplectamur nobisque applicemus, quod sensibus etiam usurpare nostris possumus, ut, inquam, sensus quoque nostri haberent, in quo plenarie acquiescerent. Qui si est finis sacramentorum, non dico unicus, si tamen unus ex pluribus est finibus, non potest hypothesis ejusmodi cum eodem conciliari, quæ in illa ipsa re, in qua sensus nostri acquiescere deberent, sensus non confirmat, sed multo magis & sensus & fidem simul nostram confundit.

§. 28. Scribit SCOTVS apud Bellarminum, *In sacramento veritatis nihil decet esse falsum. At, si substantia panis desit, erit falsitas in accidentibus. Accidentia enim externa sunt naturalia signa internæ substantiæ. Unde etiam per ea, a posteriori, indagatur a philosophis substantia.* Pensiculate hæc Scotus & enucleate; repete enim ad §. 19. dicta. Sed præfatur BELLARMINVS, *Potest addi argumentum paulo gravius ex Scoto; qui proponit & solvit - - - In sacramento veritatis nihil decet cet. (*)*. Quomodo argumentum sit a Scoto solutum, in præsentem quidem nescio. Vnum illud scio, invita veritate argumentum Scoti solutum esse a BELLARMINO, in hunc modum commentante: *Ad argumentum Scoti dico, nihil esse falsi in signo sensibili eucharistiæ cet.* Verba ipsius integra jam exhibuimus ad §. 20; qua repete fis. Nam, voluisse deum, in sacramento eucharistiæ, præter cursum ordinemque naturæ, aliquid facere, tantum abest ut Bellarminus probaverit, ut etiam contrarium modo

(*) BELLARMINVS *De controversiis cet. Tom. III. Lib. III. cap. XXIV. p. 252.*

do sit a nobis probatum §. 26. 27. Proponit id ipsum, quod Scotus postea repetiit, dubium THOMAS AQUINAS, scribens: *In sacramento veritatis non debet esse aliqua deceptio. Sed per accidentia judicamus de substantia. Videtur ergo, quod deceptiatur, humanum iudicium, si, remanentibus accidentibus, substantia panis non remaneret. Non ergo hoc est conveniens huic sacramento. Præterea tertio, quamvis fides nostra non sit subiecta rationi, non tamen est contra rationem, sed supra ipsam* - - - *Sed ratio nostra habet ortum a sensu: ergo fides nostra non debet esse contra sensum. Est autem contra sensum, dum sensus iudicat esse panem, & fides credit esse substantiam corporis Christi. Ad hæc, quæ, pro temporum illorum *παρηγορία* in scholis disputandi, ipse movit, dubia respondet THOMAS: *In hoc sacramento nulla est deceptio. Sunt enim ibi, secundum rei veritatem, accidentia; quæ sensibus dijudicantur. Intellectus autem, cujus est proprium objectum substantia, per fidem a deceptioe præservatur. Et sic patet responsio ad tertium. Nam fides non est contra sensum: sed est de eo, ad quod sensus non attingit (*)*. Quod dicit primo, *sensibus dijudicari accidentia*, verum est. Sed nihil dicit, ad infirmandum nervum objectionis propositæ, quod *per accidentia judicamus de substantia*, vid. §. 19. Quod dicit secundo, *intellectus proprium objectum esse substantiam*, & propter finem responsionis suæ, *fides est de eo, ad quod sensus non attingit*; hoc quoque, in quod elabi conatur, antrum jam obturavimus, §. 18. demonstrando: si, quod ad prima usque elementa rerum materialium, quæ proprie sunt substantiæ, sensus attingere non possunt, nullum omnino, ac ne quidem de substantiis compositis, ad suum genus vel speciem competentem referendis, sit potestas sensuum, & ab erroris periculo immunitas; hoc si verum est, nulla est in universa cognitione nostra, quæ a sensibus oritur, certitudo, vid. §. 18. Si nulla cognitionis, quæ a sensibus oritur, certitudo, firmo stant talo objectionis*

(*) THOMAS AQUINAS. *Summa theologicæ Parte III. Quæst. LXXV. art. V.*

Etionis ipsius verba: *Ratio nostra habet ortum a sensu; ergo fides nostra non debet esse contra sensum.* Est autem contra sensum, & sic porro: Quod dicit tertio, *intellectum per fidem a deceptione praeservari*, æque ac Bellarminus demonstratum præcipue ivit ex verbis institutionis Christi, *hoc est corpus meum.* Verum, ex his verbis nihil probasse Bellarminum, demonstravimus §. 23. tum, *Scotum* jam, directo ariete, *Thomam* feriisse, eundemque, ex verbis institutionis Christi, transubstantiationem missaticam probantem, refutasse, ostendimus §. 24. *Si dicas*, inquit, *sicut unus doctor, quod Matth. 26. dicendo, hoc est corpus meum, expresse insinuat, panem non manere, quia tunc propositio esset falsa;* HOC NON COGIT cet. Claudimus & querimus. Quos testes, in convincendis nobis, de variis operibus gratiæ, deus adhibuit: quos item testes ad infinitam suam, in regno naturæ, sapientiam, bonitatem & majestatem cognoscendam, nobis dedit; an eosdem testes suspectos nobis reddere, eorumque testimonium destruere, voluisse existimandus est? *Iehovah* deus, qui non mutatur *Malach. III. 6;* cujus opus est instar petrae perfectæ, omnesque ejus viæ justissimæ *Deut. XXXII. 4.*

Agendum nunc nobis esset de momento controversiæ, inter nos & transubstantiationis missaticæ patronos (*). Sed, quia jam longius progressa est oratio, argumentum illud in aliud tempus transferimus, ac stilum ad festivam convertimus solemnitatem, cujus copiam academiae nostræ fecerunt

(*) Vide, an latius provectus sit, hocque etiam caput expeditur vir, dum viveret, Clarissimus IOH. LA PLACETTE, in libro gallicano idiomate edito, *De auctoritate sensuum contra transubstantiationem*, Amstel. 1700. Quem in eodem argumento occupatum jam fuisse, didici ex *Joh. Franc. Buddei Instit. theol. dogm. p. m. 1514.* commentatione nostra pæne ad umbilicum deducta. Etsi vero actum egerimus, tamen, cum doctissimi viri scriptum non viderimus in præfens, conferant veritatis amantes lectores utrumque, & judicent, quæ ille melius, quæ forte & nos a re non alienum,

20.
cerunt duumviri, tam munerum dignitate, quam fama
celebritate, longe clarissimi, summorum in theologia ho-
norum petitores & candidati dignissimi. Alter illorum
est Collega meus conjunctissimus honoratissimusque

VIR SVMME REVERENDVS EXCELLENTISSIMVS
ATQVE AMPLISSIMVS

CONRAD. FRID. ERN. BIERLINGIVS
S. S. THEOLOGIAE IN ERNESTINA NOSTRA PRO-
FESSOR ORDINAR. LOGICES ET METAPHYSICES
PROFESSOR EMERITVS, SOCIETATIS REGIAE,
QVAE LINGVAM VERNACVLAM EXPOLIT, GOET-
TINGENSIS MEMBRVM HONORARIVM.

Vitam viri celeberrimi enarravit jam scriptorumque
ipsum catalogum nexuit, vir Max. Rev. ERNESTVS
LVDOVICVS RATHLEFIVS (*); non tamen a scopi no-
stri publicique ratione programmatis, honori dignissimo-
rum Candidatorum dicati unice, alienum fuerit, recogni-
tam cum lectoribus nostris, & quadamtenus resectam, com-
municare.

Bierlingiana gens antiquior Antwerpiae Belgicae, re-
centior Lipsiae, illustri illi Germaniae nostrae emporio, origi-
nem suam debet. Hac namque in urbe, Antwerpia exsul
voluntarius, vixit & mercaturam exercuit CASPAR BIER-
LINGIVS, nostri *abavus*; qui procreavit nostri *proavum* CA-
SPAREM BIERLINGIVM, Iuris utriusque Doctorem, & pa-
triae, dum viveret, urbis praetorem. Huic erat filius, nostri
avus, CASPAR GOTTLIEB BIERLINGIVS, Medicinae Do-
ctor; atque is, relicta Lipsia, domicilium transtulit Mag-
deburgum & artem salutarem in hac urbe exercuit, scien-
tiae suae fama, qua peregre etiam inclaruit, id assecutus, ut
socie-

(*) *Z. L. Rathlef Geschichte jetzt lebender Gelehrten,*
als eine Fortsetzung des jetzt lebenden gelehrten Europa. Dritte
ter Theil, von 23 bis 37 Bl. Zelle a, 1741, in 8.

societati naturæ curiosorum Casareo-Leopoldinæ membrum
adscriberetur honorarium. Doctoris istius & Medici pra-
ctici, ex dulcissima conjugē SABINA ELISABETHA LEY-
SERIA, filia FRID. GVIL. LEYSERI, ad ædem cathedralem
Magdeburgicam Pastoris, & Ducatus Magdeburgici
Inspectoris Primarii, filius fuit FRIDERICVS GVI-
LIELMVS BIERLINGIVS, nostri *pater*. Atque hic, fatis
divinis ducentibus, in academiam nostram delatus, sedem
in ea fixam invenit & stabilem, gloriosissimæ memoriæ im-
mortaliumque decorum Principis ac Domini **CAROLI**
Hassia Landgravii cet. cet. Nutritoris academiæ munifi-
centissimi, indulgentia, Professor primum Eloquentiæ, Hi-
storiarum & Politices, Professor deinde Theologiæ quo-
que, Consistorii ecclesiastici Assessor, & ecclesiarum Has-
so-Schaumburgicarum Superintendens, benignissime crea-
tus. Idem Pastoris præterea primarii munere, ad sacram
Euangelico-Lutheranorum Rinteliensium aedem, fidelis-
sime functus est. Doctore huic Theologo, cujus gratissi-
ma nunquam apud nos interitura est memoria (*), con-
jux fuit, dum fata deusque siverint, adhuc superstes, AN-
NA CHRISTINA SOPHIA EGGERDINGIA, filia CHRI-
STOPHORI EGGERDINGII, præfecti & vectigalibus præ-
positi Hassiaci, ex AGNETA MARIA BODINA, filia
GERHARDI BODINI, S. S. Th. D. & in alma Ernestina
nostra Professoris quondam Primarii, academiæ Senioris, nec
non ecclesiarum Hassio-Schaumburgicarum Superinten-
dentis; a quo *Perillustis jam Bodinorum gens* descendit (**).

His

(*) Descripsit, & typis divulgavit, meritissimi viri vi-
tam CAROLVS ANTON. DOLLIVS jam S. S. Theol. Licent. &
Superintendens Schaumburgico-Lippiacus, sub tit. *Aus-
führliche Lebens-Beschreibung Herrn Friedr. Wilh. Bier-
lings* cet. Hanover a. 1749. in 8.

(**) Quæ, brevitatis causa, in hac genealogia, præci-
pue in enumerando genere inclitæ gentis Leyserianæ, omi-

His parentibus, FRIDERICO GVILIELMO BIERLINGIO, Theologo quondam nostro, & ANNA CHRISTINA SOPHIA sua, natus est CONRADVS FRIDERICVS ERNESTVS, summorum jam in theologia honorum Candidatus longe dignissimus, anno MDCCIX die XV septembris, nactus susceptores, cum sacro fonte tingeretur, celeberrimos in academia nostra Juris Doctores & Professores, b. CONRADVM LVDEKINGIVM & HENRICVM ERNESTVM KESTNERVM. Deinde, simulac per teneram ætatulam licuit, salyificæ religionis nostræ elementis, latinisque & græcis literis, instituendus traditus fuit gymnasii urbici doctoribus. Conrectoris quidem, per illud tempus, provinciam administrabat b. WIGANDVS KAHLERVS, qui, succedentibus annis, amplioribus haud vulgarium meritorum præmiis, sapientissimi Principis CAROLI clementia, ornatus, S. S. Theologiæ Doctor ejusdemque ut & Mathematicum nec non Poeseos Professor publicus ordinarius, inter nos, obiit. Huic Bierlingius noster refert acceptum, quidquid in scholis profecit inferioribus. Neque tamen minus grato agnoscit animo eximia præstantissimorum virorum erga se suasque literas merita, præclarissimi BVENEMANNI, gymnasii jam Hannoverani Directoris celeberrimi, clarissimi item OPITII, Rectoris jam apud Mindenses dignissimi; quorum ille gymnasii tunc Mindensis Rectoris, hic Prorektoris, sparta, multa cum nominis prædicatione, fungebantur. Gratulaturque sibi verissime Bierlingius, affulisse occasionem sibi multo jucundissimam, gratam erga viros, egregie de se meritos, animum quadamtenus declarandi; dum lauream in hac academia philosophicam, ipso promotore, anno abhinc præterito, accipere non dedignarentur. Accessit vero Mindam MDCCXXII. hospitio & convictu celeberrimi *Bünemanni*, potitus; cujus bibliothecam copiosissimam, horis subcisivis, in usus suos convertit quam diligentissime.

Exacto anno, ad patrem rediit amantissimum, qui, licet

F effet

simus lector velim cognoscat ex Max. Reu. DOLLII perpolitito *de vita Fr. W. Bierlingii* libello allegato.

esset distractissimus, filii tamen curam suscipere, eumque privatim ad acroases academicas rite voluit preparare. Qua ex institutione tantum percepit fructum, ut, a. MDCCXXIV. d. XV. septembris, civitati academicæ nomen dare potuerit, Magnifico tunc academiae Rectore IOH. HERM. FÜRSTENAVIO, Medicinæ Doctore ejusdemque Primario & œconomiae Professore ordinario. Doctores academicos habuit b. IOH. KÄHLERUM, cujus commentationes in *Formulam concordiae*, inque *rheologiam positivo-acroamaticam Kœnigii*, assidue frequentavit: b. IOH. ENGELH. STEVBERUM, quem *Pfeifferi Hermeneuticam*, *Tromsdorfi Theologiam*, *Stockii Homiliam*, *Pritii introductionem in N. T. Goodwini Antiquitates Judaicas*, docte & fideliter explicantem audivit: Illustrem FRID. VLR. PESTELIVM; ex cujus ore *Gundlingii Ethicam*, *Brunemanni & Cocceji Ius publicum*, *Gundlingii & Vitriarii Ius naturæ*, accepit. *Logicam & Metaphysicam* tradentem auscultavit b. WIGANDUM KÄHLERUM, *Physicæ* vero præcepta IOH. HERM. FÜRSTENAVIVM. B. denique PATRI suo diligentem in primis operam dedit in universa *philosophia & historia*, tam universali quam Imperii nostri Romano-Germanici. Ex eodem *Theologiam* quoque hausit, auditoribus, secundum b. *Sebastiani Schmidii* institutiones, traditam.

At enim, in tam acri studiorum cursu constituto visum est imperscrutabili sapientiæ divinæ sufflamen, an novum ipsi admovere incitamentum; optimo suo & præsentissimi, post deum, auxilii patre, in ipso ætatis & meritum flore, anno MDCCXXVIII. die 25. julii, ad caelestium animorum consortium translato. Cujus præsidio præmature nimis orbatus, non tantum consilium plures academias salutandi abjicere coactus fuit, sed etiam familiæ paternæ, matris, duorum fratrum, totidemque fororum, ut curam in se susciperet, pietas postulavit. Cui officio satisfacere, nisi in cursu literarum, impigre decurso, non potuit; qua ejus ex alacritate tanta voluptate academiae Patres, philosophorum ante alios ordo, perusus est, ut adolescenti, qui vicesimum ætatis annum nondum superaverat, scholas publicas aperiendi facultatem, rara liberalitate, tribuerent, anno

20.
anno MDCCXXIX. die XV. julii. Docuit vero Logicam, Ethicam, Metaphysicam & Historiam Puffendorffianam: pro rostris adhuc sacris verba frequenter fecit. Quanto cum successu, annus MDCCXXXI. declaravit; quo Augustissimo Regi nostro, ab academia Patribus, diligenter commendatus, die XXVII. octobris, numinis ejus suffragio, Logices & Metaphysices Professor publicus ordinarius, in academia nostra, designatus est; eodemque anno, die XI. mensis decembris in Consistorium academicum introductus, dicta, ipsis feriis Thomæ, publica oratione, *de libertate philosophandi*, locum in ordine Philosophorum rite occupavit. Ex illo tempore, præter philosophiam universam, studiosæ juventuti academicæ historiam literariam, universalem & germanicam, b. Patris sui *Lineamenta methodi studiorum*, indulgente denique Theologorum ordine, theologiam moralem & historiam ecclesiasticam, prælegit.

Non ingratos accidisse labores ipsius, quorum in potestate est, fideles & utiles reip. cives remunerari benignissime, anno MDCCXLII. denuo spectatum fuit: BEHRENSIO, Professore Philosophiæ extraordinario, e vita evocato, congiario autem, quo ille gaudebat, in nostrum translato. Non potuit enim verò non tanta fides, tanta industria, tanta animi & virium contentio, quantam Bierlingius academia testatus est, in obscuro latere. Supra octuaginta collegia, ut vocant, in rationum suarum libris numerat privata, missis nunc publicis & privatissimis, quæ, in statione sua academica, cum studiosa juventute instituit. Neque tamen sibi quidquam tribuit, sed pectore incinit latissimo, Soli Deo Gloria. Nec minus vero academia in publicis, quæ gessit, muneribus utilem se præstare voluit. Prorektoris purpuram bis gessit: primum anno MDCCXXXVII: & quia opportune tunc Serenissimus Princeps FRIDERICVS, fidesima Hassiæ nostræ spes, Rectoris magnificentissimi fasces suscipere non est dedignatus, communem academia lætitiâ exprimeret novus Prorektor voluit, dicta die 17. julii oratione solemni, *de felicitate, quam academia Ernestina sibi certissime ex Serenissimi FRIDERICI, Rectoris Magnificentissimi,*

F 2

ficentissimi, regimine promittere potest. Prorektoratu hoc, quem Illustri WOLFHARDO, I. V. D. & Professore Publico Ordinario, suo per Leyserianam gentem cognato, tradidit, decessit, dicta oratione, in qua *Ideam florentis ac felicitis academiae* representavit. Prorektor alterum fuit MDCCXLVIII. Decanus in philosophica facultate quater; in theologica jam bis.

Famae ejus, quam ad exteros quoque doctissimis scriptis propagavit, haec documenta sunt. Amplissimus Philosophorum ordo in academia Göttingensi summos in philosophia honores, anno MDCCXLV. die VII. decembr. absentis ipsi tanquam praesenti decrevit, missoque liberaliter diplomate contulit. Politissima in eadem academia Societas regia teutonica d. XXIV. oct. MDCCXLVI. eum inter membra sua retulit honoraria. Vacante, a. MDCCXLIII, Verbi divini ministri primarii, apud Evangelico-Lutheranos Castellis, provincia, Bierlingius aptissimus est judicatus, qui eam non minore cum dexteritate, quam antecessor illo in munere *Schlosserus*, administraret. Sed, cum animi sui, quam vocationis illius occasione persequitur, luctam exposuisset ecclesiae curatoribus, gravissimis & aequissimis viris, ut bona ipsorum cum gratia academiae & porro studia sua dicaret, obtinuit. In duplici excursionem, quam annis MDCCXXXVII. & XLI. fecit Hamburgum, amicos sibi conciliavit clarissimos juxta ac doctissimos viros, b. *Winklerum* Ministerii sacri Seniore, eademque post ipsum sparta defunctum b. *Palmium*, b. item *Joh. Christoph. Wolfium*, philologum in toto orbe literato celeberrimum: Summe ven. *Erdmannum Neumeisterum*, *Joh. Lud. Schlosserum*: Professores porro illustris Athenaei *Joh. Christ. Wolfium*, *Reimarum*, *Winklerum*, nunc theologiae Doctorem & ecclesiarum urbicarum Superintendentem Hildesiae, privatoque in otio publico egregiam operam navantem *Koblium*. Sed longum esset referre, quas oras Bierlingius, literis suis, peragravit, qualesve & quantos amicos sibi passim comparavit; quamvis eos videre, perque vitam & muneris sui rationes coram salutare potuit nunquam.

Accedimus ad caput; quod, uti quoddam quasi complementum studiorum Bierlingianorum est, ita novam quoque

que in vita ipsius periodum aperit, totum novum con-
 stituit. Hujus vero initium a luctuoso b. *Wigandi Kableri*
 ex hac vita abitu repetit; qui cum anno MDCC XLVII.
 die XIV. novembris contigisset, accidit quoque, ut, Summe
 ven. *Steuberi* hortationibus victus, vacantem professionem
 theologiam ambiret, eoque nomine Augustissimo REGI,
 Patriæ Patri indulgentissimo, pro eo ac debuit, supplex fie-
 ret. At enim, eodem MDCC XLVII. anno nondum de-
 curso, die quippe VI. decembris, in patriam quoque cœle-
 stem commigravit b. *Steuberus*; cujus usu & jucundissima
 consuetudine orbatu, nihil iterum magis in votis habuit,
 quam deo & academiæ, eodem ipso in loco, servitia & officia
 sua probare, quem hætenus occupavit, philosophico. E-
 nimvero aliud Augustissimi REGIS de ipso fuit iudicium. Is
 enim, per rescriptam, Serenissimi Principis Fratris GVILIEL-
 MI, hæreditariarum Germaniæ provinciarum Gubernato-
 ris sui, die VI. jan. MDCC XLIX. manu firmatum, professio-
 nem theologiæ secundariam benignissime ipsi contulit.
 Quo facto, ipse obedientiæ gloriam sibi relictam putavit, in-
 que facultate theologica locum, in Consistorium academi-
 cum, die III. septembris, introductus, re ipsa occupavit; ex
 civibus Rintelienfibus, quod quidem constat, & Theolo-
 giæ Professor, & primus Theologiæ DOCTOR. Quæ res ut
 orbi literato, sacræ in primis civitati & academiæ nostræ,
 salutaris, summorum honorum Candidato infinitarum lati-
 tiarum & uberrimorum fructuum materia sit, pro collegii
 mutæque consuetudinis nostræ jure, ex animo precamur!

Scripta, quæ cum orbe erudito hætenus communi-
 cavit, sunt:

- I. *Programma recitation. publ. præmissum, a. 1732. in 4. in quo re-
 centiorum philosophorum, præ veteribus, merita prædicat.*
- II. *Dissertatio de primo omnium veritatum principio, a. 1736. in
 4. de qua vide Relationes Hamburgenses, sub tit. Hamburgische
 Berichte von gelehrten Sachen, ad a. 1736. p. 545. itemque
 ad a. 1737. p. 250.*
- III. *Wohlverdientes Ehrengedächtnis Hrn. Herm. Gerh.
 Stedinge, Predigers des Stiffts Fischbeck, a. 1737. continet
 enarrationem vitæ Stedingii.*
- IV. *Exer-*

23.
24.
2
2
2
30

IV. *Exercit. academica de Carolo I. Imperatore, virtutibus ac
nævus Magno, a. 1738. quam sub præsidio ipsius defendit Ge-
nerosissimus Liber Baro FRID. LEOP. GEORG. DE WARTENSLEBEN,
jam S. R. I. Comes & Chiliarcha Præpott. OO. Fœderati Belgii,
Mæcenas Bierlingii exoptatissimus. Eximie commendatur in
Actis eruditorum Lipsiensibus, ad a. 1738. p. 229. nec non Re-
lationibus Hamburgensibus, supra indicatis, ad a. 1738. p. 551.*

V. *Programma de eruditis, qui magnis præmiis affecti sunt, a.
1738. vide Relationes Hamburgenses p. 552. anni ejusdem.*

VI. *Dissert. de fonte omnium præjudiciorum, & rivulis, qui
exinde prosuunt. a. 1739.*

VII. *Dissertatio de libertate actionum humanarum, a. 1739. vid.
Relat. Hamb. pag. 849.*

VIII. *Fasciculus dissertationum logicarum a. 1740. continet dis-
sertationes in universum undecim, eodem omnes anno, di-
versis vero actibus, e publica academiæ nostræ cathedra,
ad disputandum propositas. Sunt vero sequentes I. De præ-
cognitis logica. II. De ideis sensualibus & intellectualibus. III. De
ideis claris & obscuris. IV. De cautionibus circa veritatis studium
observandis. V. De gradibus veritatis. VI. De fide, secundum pla-
cita philosophia rationalis. VII. De ratione. VIII. De variis dispu-
tandi modis. IX. De experientia. X. De ideis connexis & associa-
tis. XI. De curiositate, circa veritatis scrutinium moderanda;
cujus defensor auctor simul fuit, jam I. V. D. ejusdemque ut
& philosophiæ moralis Professor publicus ordinarius Illust.
FRID. GVIL. PESTEL. v. Relationes Hamburgens. a. 1740. p. 551.*

IX. *JVSTI FRID. BIERLINGII commentarius, de causis,
quæ Lutherum ad impugnandas indulgentias permoverunt cet.
quem b. fratris sui, natu minoris, in primo ætatis flore ex-
functi, noster cum præfatione sua edidit a. 1743.*

X. *Die trefflichen Eigenschaften und erhabenen Vorzüge
der Hochwohlgebohrnen Frauen Louyse Albertine Sophie
Christine gebohrnen Freyin von Quade und Wickrade,
des Hochwürdigem und Hochwohlgebohrnen Hrn. Carl Phis-
lipp Christian (jetzigen Reichs-Grafen) von Wartens-
leben Frauen Gemahlin, in einer Lob- und Trauer-Rede vor-
gestellt. Rinteln 1744.*

XI. *Differ-*

XI. *Dissertatio de syncrifi Habelis & Lutheri*; quam, prævio facultatis theologicæ consensu, sub Bierlingii nostri præsidio, defendit genuinus auctor *Ioh. Philippus Kabler* a. 1746.

XII. *Dissertatio inauguralis de legione fulminea Christianorum*, sub *M. Antonino Philosopho*; quam, pro consequendis summis in philosophia honoribus defendit *Ioh. Guilielmus Duncker*, tunc ecclesiæ patriæ *Fuhlenfis Adjunctus*, nunc *Vchtensum Pastor* meritissimus. anno 1746.

XIII. *Dissertatio inauguralis de immortalitate animarum infantum*, ex natura sua deducta, Cowardo nec non Dodwello opposita; quam defendit, pro summis in philosophia honoribus, auctor *Ioh. Philippus Kabler*, jam per integrum triennium mathesin cum applausu apud nos docens. a. 1747.

XIV. *Programma de prærogativis academiae Rectorum*, quum prorectoralem dignitatem adiret V. C. & A. D. FRID. GVIL. PESTEL. a. 1749.

XV. *Dissertatio inauguralis de revelatione divina*; quam pro magisterii gradu publice proposuit & defendit *Ioh. Gottlieb Stegmann* auctor; jamque in academia nostra probatus & gratus doctor legens. a. 1750.

XVI. *Silva positionum theologicarum*, XVIII. *decades completens*, Rint 1751, in ædibus privatis disputando proposita.

Quid restat, quam ut incolumitatem & stabilem felicitatem musæ precemur Bierlingianæ, compluribus hæctenus viris doctis probatæ atque adamatæ. Cujus nostri damnata voti, dubium non est, quin non suis tantum meletematibus orbem sacrum & literatum recreatura, sed & b. Patris commentationes nitidissimas denuo in lucem revocatura sit.

Alter Candidatorum nostrorum, ipso illo facultati theologicæ in Ernestina nostra anno fatali MDCC XLVII, summos ab eadem honores petiit, obtinissetque promissos ac prope decretos, nisi, non integri mensis spatio interjecto, utrumque & *Steuberum* & *Kahlerum*, quibus res nostra theologica stetit, superstitum ex oculis mors subduxisset acerba. Imo vero fuit, ne sine re verecundemur fateri, jam antea, perque integra lustra, facultatis nostræ Candidatus, eidem addictissimus, nec quidquam ad consequendos honores summos de-

sidera-

2/3

2/4

2

2

2

2

30

siderabatur, quam sparta honoribus respondens. Quod nihilo tamen minus precum suarum & veteris consilii fidem ratam habere, quod inquam, instaurata Augustissimi REGIS nostri ac Domini clementissimi providentia facultate, ad eandem iterum vir præstantissimus voluit recurrere, tanti ejus illud de nobis nostraque facultate judicium fecimus, ut, absenti tanquam præsentem, absenti autem propter gravissimas muneris sacri causas, præsentem meritorum & scriptorum suorum inter nos fama, petitos honores decerneremus, decretos, accepto etiam inauguralis dissertationis monumento, in hac publica panegyri, conferre constituerimus. Idque ut faceremus, Augustissimi Regis indulgentia, in facultatem nostram plane singularis, quam pii & cernui veneramur, æternumque venerabuntur successores, nos auctoritate donavit, confirmavit. Est is

VIR MAXIME REVERENDVS ATQVE AMPLISSIMVS
IOH. HERM. ZSCHORNIVS
VERBI DIVINI APVD CELLENSES MINISTER
FACVNDISSIMVS (*)

Spiritum vitalem hausit a. MDCXCVIII. die 19. Augusti, *Quecka*, qui dynastia libera imperialis *Schlitzensis* est vicus; in quo b. pater ipse IOHANNES ZSCHORNIUS, verbi divini minister, rem sacram curabat. Matrem habuit ANNAM ELISABETHAM REMLINGIAM, honesti civis Helmstadiensis filiam. Eluxit jam in puero excellens ingenii vis; qua fidelissimi parentes ipsius impulsu, literis eum, si viveret, totum consecrarunt, & pædagogo privato, quem domi suæ amantissime alebant, instituendum tradiderunt. Ætate vero & literis aliquanto confirmatum *Mühlhusam* detulerunt, ut, in publico gymnasio, non tantum variam Collegarum

(*) Vitam viri præstantissimi damus ex b. E. F. NEUBAVERI *Nachricht von den jetztlebenden Evangelisch-Lutherischen und Reformirten Theologen* &c. quam ille se cognovisse testatur ex *Iob. Fridr. Es. Steffens* scripto votivo; quo munus Cellense Zschornio nostro est gratulatus. Sed vide *Neubauerum*,

23

24

2

2

2

30

garum eruditionem, pro captu, faceret suam, sed etiam, commilitonum honesta provocatus æmulatione, feliciores faceret progressus. Neque spes eos concepta fefellit. Annum enim agens septimum decimum tantum in studio profecit literarum, ut in academiâ concedere, doctorumque academicorum scholas cum fructu frequentare posse, judicaretur. Accessit itaque *Ienam* a. MDCCXV. seque ad theologos, viros per illud tempus longe celeberrimos, applicavit. b. MICHAELEM FOERTSCHIVM, b. IOH. FRANC. BVDDEVN, b. IES. FRID. WEISSENBORNIVM. Linguas sacras & antiquitates judaicas dexterrime tradentibus adhæsit b. IOH. ANDR. DAMTZIO & b. IOH. REINH. RVSIO. Homiliæ præcepta ex b. CHRISTIANO STOCKIO, philosophiam universam ex b. IOH. FRID. WVCHERERO, hausit.

Sacro, in academia, quadriennio exacto, a. MDCCXIX. eruditum suscepit iter, plures potissimum academias salutandi, doctorumque virorum ex colloquiis proficiendi, consilio. Sed cum pervenisset *Ratisbonam*, domicilium, præter spem, in ejus urbis sinu paulo magis invenit diuturnum. GEORGII SERPILII, ministerii sacri *Superintendentis*, viri longe clarissimi, tanta in ipsum benevolentia exstitit, ut Perill. ac Generosissimo L. B. DE TEVFEL dicto *de Birckensee*, Serenissimi Electoris Palatini ab interioribus, id temporis, cubiculi, accurate eum commendaret, isque generosæ illum publiæ studiorum & morum præfectum daret. Quo in otio sexennium noster ita vixit, ut nunquam minus otiosus. Non enim solum generosæ adolescentiæ, quæ fidei ipsius credita fuit, fidelissimam, gratamque Perillustri hero suo, operam navavit, sed horas etiam subcissivas, aliud atque aliud lucubrando, bene collocavit. Scripti autem theologici, infra designandi, occasione factum est, ut ei dica a Patribus Societatis Iesu scriberetur, imo copia etiam fieret sermonem cum adversariis coram conferendi. Eventus fuit, ut clarior evaderet, pluriumque illustrium virorum, quibus inclita Ratisbona nunquam non abundat, gratia florere inciperet. Cujus rei fructum percepit, cum, Serenissimæ ac Potentissimæ Domus Regio-Electoralis Brunsvico-Lunenburgicæ

G

gica Legati ad comitia imperialia Excellentissimi verbis
gravisime commendatus, anno M DCC XXV. domicilium
transferre juberetur Hannoveram; qua in urbe Illustriss. at-
que Excellentiss. S. R. I. Lib. B. de GÖRTZ, Augustissimi M.
Britannia REGIS & Electoris Brunsvico-Luneburg. Inti-
mus Consiliarius & Camerae Praefes Generosiss. nepotem ipsi
suum literis et piis moribus formandum tradidit. Ac licet Ex-
cellentissimus herus ipsius nepotem deinde suum Illustriss.
atque Excellentissimi generi sui DN. DE WRISBERG, Consilia-
rii Intimi & Supremi Appellationum tribunalis Cellensis Prae-
sidis gravissimi, lateri adjungeret, in Zschornium tamen no-
strum omne genus gratiae ac benevolentiae liberalissime
conferre perrexit; donec, Perill. ac Generosiss. Baronissae
de MÜNCHHAUSEN in *Schwæbern* patrocinio, Verbi divini mi-
nister evocaretur Ertzenam, a. M DCC XXXVIII. Ex quibus
navi aliquid in relatione *Neubaueriana* corrigi poterit.

Munus Ertzenae cum annis decem administrasset, a.
M DCC XXXVIII *Lemgoviam*, aedis sacrae primariae ad S. Nicol.
Pastor, vocatus est. Vacante interea apud *Luneburgenses* Super-
intendentis munere, visum est eligentibus ad Zschornium
quoque nostrum oculos convertere. Sed, cum fors S. Ven.
existet GOETTENIO, pulcherrimam, quam decurrere cepit, via
metam properanti, *Cellenses* abitum oratoris sibi jucundissimi
ut lenirent, Lemgovia Zschornium a. M DCC XLI. arces-
siverunt. Et hac in statione partibus suis strenue adhuc
defungitur. Fuit vero tempus, quo Facultatis nostrae Theo-
logicae verbis, ad vacantem Superintendentis provinciam a-
liam, studiose commendaretur. Non potuit, nisi unus
iterum referre brabeum. Venit in mentem b. dubitare NEU-
BAVERO, Zschornione nostro, an Polycarpo Leysero D. et Pro-
fessori Helmstadiensi longe celeberrimo, epigrammatis cujus-
dam gallici occasione, cujus tamen Leyserus excellentiam,
tantopere a Gallis praedicatam, oppugnavit. Zschornius contra
defendit, *Doctoris Sorbonnici honores Sorbonna obtulerit Pa-
risiensis* (*). Sed nostro, sine controversia, decretus fuit ho-

(*) Videtis epigramma ipsum in S. R. BIERLINGII nostri
Dissert. de ideis claris & obscuris pag. 23.

nos, an potius intolerabile theologo orthodoxo onus; de quo velim beatus consulatur *Neubauerus*, loco citato.

Quæ hæctenus Vir doctissimus edidit, ista sunt; ex quibus b. *NEUBAVERI* catalogus quadamtenus poterit suppleri.

I. *Methodus facillima componendi & construendi particiþia.*

II. *Chronologische Tabellen von Carolo magno an, bis auf Kaiser Carl den VI.*

III. *Kurzer Entwurf der Haupt-Veränderungen der vier Monarchien und vornehmsten Reiche und Staaten in Europa.*

IV. *Argumentum generale, quo probatur, solam Scripturam sacram esse principium cognoscendi veritates divinas.*

V. *Epistola ad virum celeberrimum POLYCARPUM LEYSERVM, Professorem Helmstadiensem. Hæc illa est, de gallico epigrammate, diatriba; de qua superius.*

VI. *Kurzer historischer Unterricht von der Augspurgischen Confesion.*

VII. *Kern exgetischer und philoloaischer Dissertationen. Accesserunt ad partes decem, a b. Neubauero commemoratas, duæ novæ partes; quæ simul sumtæ commodi voluminis formam in 8. referunt.*

VIII. *Die ersten Buchstaben der göttlichen Worte, in LXXIV Sätzen, nach dem von dem seel. Hrn. D. J. J. Rambach gemachten Entwurf des Raths Gottes von der Seligkeit der Menschen, und dessen darüber gehaltenen Predigten-rc.*

IX. *Kurzer Begriff der christlichen Sittenlehre aus des seel. D. Rambachs Moral-Theologie zusammen gezogen.*

X. *Exegetische Blumenlese. Erstes und zweites Stück. Complectitur opusculum miscellaneas observationes exegeticas, quæ partim solertissimo auctori inter meditandum subnata, partim ex relationibus literariis, aliorumque Theologorum scriptis, ab eodem sunt collectæ. (*)*

XI. *Betender David, über verschiedene besondere Texte, aus denen Psalmen nach und nach herausgegeben. Volumina duo.*

XII. *Dispositiones über meist epistolische Texte. Volumina tria.*

XIII.

(*) vid. *Hamburgische Berichte a. 1741. num. 7. p. 56.*

XIII. *Dissertatio inauguralis de angelis, quorum causa femina ἐξουσίαν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς habere iubetur ab apostolo 1 Cor. XI. 10.* Hæc illa est, quam nobis, summorum honorum causa, exhibuit; quæ, quoniam superius excidit, hic adjicienda fuit.

21.

Nos vero doctissimum scriptorem non solum ecclesiæ, cui se omniaque sua studia dedicavit, familiæque dulcissimæ, diu cupimus superstitem, sed etiam vires ei firmas precamur & diuturnas; quibus & gravissimo, quod gerit, muneri fortiter vacare, & sacram rem, studio privato, porro etiam provehere, sufficiat.

Cognoscendos VOBIS, PATRES ACADEMIAE SPECTATISSIMI, AMPLISSIMIque, GENEROSISSIMI item NOBILISSIMIque CIVES, & quotquot sacris literis bene cupitis HOSPITES, suis quique titulis HONORATISSIMI, hætenus exhibui viros ac pernoscendos, quibus ad constitutum, in programmatis hujus fronte, diem summi in theologia honores, juraque & privilegia doctoralia, & quidem in auditorio academico majori, publice & solemniter conferentur. Quam ut panegyri præsentia vestra cohonestare, pulchramque magis & decoram efficere, velitis, perofficiose peamanterque a VOBIS oro, gratum VOBIS, quoties aut usus fuerit, aut voluntatis vestræ, meæque potestatis, facere vicissim paratus.

P. P. Rintelii die XI Martii a. clo 1000LL.





Index.


- 1.) Hafaus de Tribu scitu creditus necessarius. P. I.
- 2.) ————— P. II.
- 3.) ————— P. III.
- 4.) Lampe de Inspiratione.
- 5.) Nonnen de Donis Spiritus S. Extraordinarius P. I.
- 6.) ————— P. II. (Rel. Vd. Tom II Theolog.)
- 7.) — de Turibz Satana veris & pratenfis in gong humanura.
- 8.) Hirckhoff de Christo homine obligatione legum div. anteccd. & eterna soluto.
- 9.) Nonnen de Summo Dominio Scandinaviae Exaltati in Universum.
- 10.) Scheele de Praesentia Salutis humanae per Christum parte pro felicitate concreata in statu integ.
- 11.) Nonnen de Fide in Nomen Domini nostri, Iesu Christi, Filii Dei.
- 12.) Carporii Illustrationis apologeticae Peccati in Spiritu Sanctum Specimen I
- 13.) ————— Spec. II
- 14.) ————— Spec. III.
- 15.) ————— Spec. IV.
- 16.) ————— Spec. V.
- 17.) ————— Spec. VI.
- 18.) ————— Spec. VII.
- 19.) Observationum contra Carporii sententiam de Peccato in Sp. S. Pars I.
- 20.) Schwarz de Sensuum in dejudicanda Transsubstantiatione Dissertatio Testimonio.
- 21.) Nonnen de Aetate Beatorum gloria post consummationem Mediatoris.
- 22.) Lampe de Poenarum Aeternitate. Pars dogmatica.
- 23.) ————— Pars elenctica.
- 24.) Nonnen de Rebus Tabernaculi typis coelestium.
- 25.) Camerarius de Lucta precum.
- 26.) Meier de Discrimine eiq. quod Naturale & Morale dicitur in Theologia.
- 27.) Serpili Oeior Theologorum.
- 28.) Zacharia de Fraternitate Christiana.
- 29.) Enslin de Praejudiciis practico Christianismo noxiis.
- 30.) von Weisoffen de Prudentia nuptiarum gamica.




[Faint, illegible handwritten text on aged paper, possibly bleed-through from the reverse side.]









the scale towards document

tavit cum juvenibus, sed seorsim inter David cum mulieribus choreas duxit. Et am ejus celebrabant, inter sese, non cum m vero, qvi toto animo atqve omnibus it, non solum debent mandata ejus obser- nes. vias præcidere, qvibus illorum obser- Verùm aliquis objiciet: Quod obsint libidinem accendant, id temere & per acci- m verò de unaqvaque re faciendum esse accidens accefferint, sed ex iis, qvæ per se tur qvidam tam casti & incorrupti, ut hæc nimò integro & casto spectare. Id fateor, ire posse, verùm addo, non esse accidentia veris. Qvædam enim sunt, qvæ admodum vadam, qvæ tam adesse alicui rei possunt, ædam verò sunt, qvæ sæpe & ex majori re. Hæc postrema in omni re debent mari qvàm diligentissime. Nec attenden- tit, sed quid soleat fieri. Aristippus in- reprehensus, excusavit, se illâ saltatione deteriorerem, sed potius in illâ mollitie icum retinuisse. Sed tales voces non- a, ut Demosthenes ait, & à Juris peritis nsiderandum, quid interdum quispiam t *τὸ πλὴν* fieri consueverit. Sed ita, in- etiam conciones & Sacramenta. Multi doque verbum Dei ad suam condemna- d iudicium suum edunt & bibunt sacra e oportet, qvædam ad salutem hominum Dei præcepta esse, qvæ nullò modo aufer- vero esse *adiaphora*, qvæ, si videamus ad non sunt ferenda. Legem Dei habemus de dis & Sacramentis percipiendis; De Cho- nihil præcipitur. Qvamobrem hæc nō conferenda. Sed tantum hac vice.

OLI DEO GLORIA,

E

No-